



Secundus liber Moysi qui inscribitur Exodus

<https://hdl.handle.net/1874/428904>


2
SECUNDVS LIBER
M O Y S I,
Q V I I N S C R I-
B I T V R
EXODVS.

AD EBRAICAM VE-
RITATEM RECOGNITVS, ET
argumentis atque scholiis
illustratus

A Victorino Strigelio.



LIPSIAE.
CVM PRIVILEGIO.



*JLLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMI-
NO DOMINO GEORGIO FRI-
derico Marchion Brandedburgensi, Stetini
& Pomeraniae, &c. duci, &c. Burg-
grauio Noribergensi, Domino
suo Clementissimo
S. D.*

MAGNUM ET INENARRABILE opus Dei est liberatio populi Israël ex Aegypto , & traductio per mare rubrum , & per vastas solitudines deserti in terram patribus sanctis promissam. Sed non minus miraculum est restitutio purioris doctrinæ Euangelij , qua nunc singulari Dei beneficio Ecclesia senescens fruitur. Quam enim tristis fuit seruitus corporum in Aegypto , quæ durauit annos octoginta , tam misera & luctuosa fuit conscientiarum carnificina aliquot seculis in regno Pontificio. Nam ut de alijs idolis , erroribus & abusibus Pontificijs non dicam , quis sine lacrimis recordari potest infinitam confusionem & inextricabiles labyrinthos doctrinæ de pœnitentia? Finixerunt enim doctores pontificij

E P I S T O L A

tificij oportere contritionem sufficien-
tem esse, & hanc mereri gratiam seu re-
missionem peccatorum , cumq; nemo
sciat quando contritio sit sufficiens ,
perpetuo dubitandum esse de remissio-
ne peccatorum . Deinde flagitarunt
scrupulosam enumerationem singulo-
rum delictorum in confessione , quam
ipsi nominarunt auricularem . Iam ve-
ro constat multos ambigentes an satis
pure confessi essent , in magnis mero-
ribus fuisse . Postremo finxerunt re-
mitti quidem culpam propter contri-
tionem & confessionem sufficientem ,
sed poenas æternas mutari in poenas
temporales , & harum partem remitti
potestate clauium , partem redimen-
dam esse satisfactionibus . Ut autem
Christus in hac tota fabula esset muta
persona , quinq; gradus satisfactionum
constituerunt , quorum primus com-
pletebatur opera non debita , id est ,
non mandata lege Dei , sed opera su-
pererogationis , vt verbi causa , pere-
grinationes , seu discursationes ad sta-
tuas , iejunia certorum dierum , recita-
tiones certarum precum .

Secundus gradus erat cooptatio in
collegi-

D E D I C A T O R I A.

collegium Monachorum , quæ vulgo
fraternitas nominabatur . Etsi enim
non omnes se illis sodalitijs Monacho-
rum adiungebant : tamen pleriq; ma-
gno are redimebant merita talium so-
dalitiorū , & post mortem cucullis mo-
nachorum induiti sepeliebantur , quo
facilior ipsis ad cælum pateret aditus .
Nam de his cœtibus hypocritarum per-
suasum habebant pleriq; , idq; inhæsi-
tanter credebant , sic eos bonis operi-
bus affluere , vt riuulis meritorum re-
dundantium alienos hortulos irrigare
possent .

TERTIVS gradus continebat me-
rita sanctorum , qui ex hac vita disces-
serant . Hæc non gratis , sed certo pre-
cio in foro indulgentiarum emebantur .

QVARTVS gradus erat ignis pur-
gatorius , quem sic amplificabant pon-
tificij doctores , vt dicerent eum tanto
ardentiorem esse igne naturali , quan-
to naturalis ardore suo pictum ignem
superat . Testis huius asseuerationis est
Longobardus lib . 4. distin . 20 . Ignis
purgationis et si æternus non est , miro
tamen modo grauis est . Excellit enim
omnem pœnam , quam vñquam pati-

E P I S T O L A

tur aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pena , licet mirabilia martyres passi sint tormenta, & multi latrones horrenda sape sustinuerint supplicia.

POSTREMVS gradus satisfactio-
num erant vigiliae & Missæ funebres.
Deniq; infinitum chaos est commen-
tum de satisfactione.

QVIS igitur non iure miretur ve-
ritatem tam abdite latentem & tantis
tenebris circumfusam potuisse agnoscit
atq; in lucem proferri ? Non est homi-
num ratione & consilio, sed Dei ope &
auxilio res tahta perfecta. Nec vero ad
repurgationē doctrinæ satis erat men-
tes doctorum diuina luce gubernari,
sed etiam magna animi firmitate opus
erat, & quadam excelsa constantia, quæ
difficilis à veritate quam Sol à suo
cursu dimoueri potest. Ut enim Moy-
ses eduxit populum Israëliticum ex Ae-
gypto Pharaone ignem & fulmina spi-
rante : sic repurgatio doctrinæ facta
est frementibus , & bella , vastationes,
exilia , supplicia , incendia minitanti-
bus cum Pontifice plarisq; regibus &
principibus , qui opiniones de religio-
ne tot

DEDICATORIA.

ne tot seculorum consensu firmatas
conuelli nolebant. Sed nec mens , nec
animus tantas res efficere potuisset si-
ne eloquentia diuina atq; admirabili,
quæ omnes partes doctrinæ ex intricata-
tissimis sophistarum labyrinthis quasi
euolutas voce & scriptis illustravit.
Quare cum & mentes docentium luce
diuina accensa fuerint , & animi con-
firmati contra metum in periculis , &
linguae in differendo diuinitus guber-
natæ, reuerenter agnoscamus benefici-
um Dei , & pro hac luce doctrinæ Deo
gratias agamus , & gratitudinem de-
claremus in confessione & studio con-
seruandæ huius puritatis , qua extincta
nec discrimen est inter Ecclesiam & ali-
as sectas , nec consolatio alia est retrah-
hens nos ex morte æterna , nec inuoca-
tio vera fieri potest. Semper etiam ar-
dentibus votis & gemitibus petamus ,
vt cum accenderit Deus doctrinam &
lucem suam in Ecclesia senescente , ad-
iuuet hæc salutaria initia , & doctri-
nam latius propagari curet , idq; faci-
at, vt seruetur & crescat & non fundi-
tus intereat Ecclesia.

E P I S T O L A

A D T V A M vero Celsitudinem Il-
lustrissime princeps secundum librum
Moysi, qui continet historiam de edu-
catione populi Israëlitici ex Aegypto,
& imaginem illustrem proponit resti-
tutæ doctrinæ mitto, & quia pater Cel-
situdinis tuæ Georgius Marchio Bran-
deburgensis laudatæ memoriarum hoc Dei
beneficium magnificit, & quia Cel. T.
exemplo paterno benigne fouet Eccle-
sias & studia doctrinæ. Ostendit enim
optimus & sanctissimus princeps pater
Cel. T. in conuentu Augustano anno
Christi 1530. vna cum alijs pijs & lau-
datis principibus, quantum doctrinæ
repurgatae tribueret. Etsi enim non
ignorabat quanto cum periculo con-
fessio Euangelij coniuncta esset: tamen
ut vir sapiens & vera pietate Deum co-
lens statuebat omnibus priuatis & pub-
licis periculis anteferendam esse glori-
am Dei. Quare vicissim ei Deus bene-
fecit, & studium Euangelij compensa-
uit in hac vita maiore luce & sapientia
spirituali, robore fidei, consolatione,
successibus in gubernatione, & post
hanc vitam præmia æterna daturus est,
quando faciet ipsum participem resur-
rectio-

D E D I C A T O R I A.

rectionis sanctorum suorum. Tuam
vero Cel. vt Deus æternus Pater Do-
mini nostri Iesu Christi Spiritu suo san-
cto gubernet, seruet ac defendat per &
propter aeternum filium suum Domi-
num nostrum I E S U M C H R I S T U M
ardentibus votis & toto pectore oro.
Lipsia, Cal. Iunij A N N O Christi
1566.

Cel. T.

subiectissimus

*Victorinus
Strigelius.*

T. AM

1880

ORATIO DE
MOYSE VIRO DEI
ET DVCE CHORI
Prophetici.

ANNVS hic est termillesimus & tricentimus quintus, postquam Moyse vir Dei & dux chori prophetici Calendis Martiis ex sua statione diuinatus euocatus est, qui & vi-nus annos quadraginta populum Israël fideliter & salutariter gubernauit, & relictis utissimis monumentis erudit Ecclesiam perpetuo. De hoc tanto viro, quo peperit maius fœmina nulla decus (Christum semper excipio) cum me dies admonuissest, nulla de re alia potius quam de Moyse dicendum esse iudicauit, præsertim cum eius historia nos de prouidentia diuina, de pœnis impiorum, de Ecclesia forma, crumni & defensione multa doceat. Et si autem historia summum oratoris opus est, ut verissime Cicero pronunciauit: tamen omne quod de re bona dilucide dicitur, eidem præclare dici videtur. Quare si multo tenuior erit oratio mea, quam ut respondeat argumenti magnitudini, vos oro, ut pro vestra pietate & candore vestro hanc qualemcumque operam boni consulatis. Sequare autem in discendo rerum & temporum seriem, qua ipsum Moysem

Moysen in quatuor libris usum esse vide-
mus. Non enim probo consuetudinem eorum,
qui de personis dicturi initio partiuntur bo-
na in tria genera, & dum ad hæc singulas par-
tes historie accommodare volunt, rerum or-
dinem confundunt.

Cum Ecclesia in Ægypto post mortem
Joseph singulari benedictione Dei crevisset,
tantus Diaboli furor in regibus Ægyptiis
exarsit, ut omnem regni sui conatum in Ec-
clesia perniciem pararent atq; meditarentur.
Neg^r, enim illis quicquam deliberatus fuit,
quam uniuersum semen Abrabæ quacunq;
ratione possent delere. Itaq; cum tentassent
omnes vias premendi & delendi populi Isra-
el, tandem edita crudelissima non atramen-
to sed sanguine scripta proposuerunt, ut recens
editi foetus necarentur. Sed non est vis ty-
rannorum valentior quam consilium Dei.
Ut enim Ecclesia semper in persecutione cre-
scit & maxime floret, & tanquam ilex duris
tonsa bipennibus, per damna, per cedes, ab
ipso dicit opes animumq; ferro: sic populus
Isræl tunc mirando opere Dei seruatus &
auctus est. Interea dum hæc atrocissima cru-
delitas in populum Isræl exercetur, nascitur
Moyses patre Amram nepote Leui &
matre Iochebed anno sexagesimo quinto post
mortem

mortem Ioseph , hoc est , octogesimo anno ante
exitum Israëlitarum ex Aegypto . Hic euen-
tus congruit cum prædictione diuina , que ex-
tat Genesis 15. Prædixerat enim Abraham
Deus futurum esse , ut generatione quarta ,
videlicet post descensum Iacob in Aegyptum ,
Israëlite liberarentur à seruitute Aegyptia-
ca . Est autem Moyses septimus ab Abra-
ham & quartus à Leui filio Iacob , quem
Deus in aquam abiectum mirabiliter serua-
uit , & post annos octoginta illustribus testi-
monijs ad eductionem populi Israel ex Agy-
pto vocauit . Quanquam enim parentes Moy-
si fide præstantes non verisi sunt editum re-
gis , ut epistola ad Ebreos inquit , & menses
tres natum infantem occultarunt , propterea
quod viderent elegantem puerum : tamen
cum illum amplius abscondere non possent , ar-
cule inclusum in ripa Nili exposuerunt . In
hoc periculo , quod humano consilio discurti non
poterat , Deus ostendit se esse ἀρχέων τωτῆς
δι Συγκριτών , id est , seruatorem homi-
num versantium in acie nouaculæ , & runc
vere velle opitulari , cum à creaturis deserri
sumus , sicut Psalmo 72. dulcissime dicitur :
Liberavit pauperem cui non erat adiutor .
Impulit enim mentem filii Pharaonis , quam
Iosephus Thermuthin appellat , ut cum Gy-
necæo

neceo in eadem ripa, in qua infans Moyses expositus erat, ambularet, & pedisseque negotium daret, ut arcuam tolleret, qua aperta vidi infantem non sine sensu misericordie. Hac eis Democritus diceret casu accidisse: tamen Ecclesia certo scit tales motus à Deo gubernari. Nec vero tantum misericordia infantis arumnoſi affecta est, sed etiam ex-traditum ex aquis tradidit in manum Iochabed, quam ignorabat esse matrem infantis, eis mercedem pro nutricione promisit.

Cum autem Moyses ex domo paterna in aulam translatus esset, Thermuthis in filii loco eum habuit, & omni sapientia & Egyptiorum erudiri curauit, ut Stephanus in Actis testatur. Norat enim pueros imbui debere bonis artibus, quas si dum sunt teneri combiberint, ad maiora venturos esse paratiore. Est enim illa vera & vobis, qui in studijs doctrinae versamini, non ignota oratio. Nemo sine cognitione Philosophie ad ullam rem illustriorem satis ornatus potest accedere. Præclare ergo Basilius in quadam oratione inquit, cui titulus est, Quæ utilitas ex lectione scriptorum Ethnicorum capienda sit, Dicitur etiam Moyses ille, cui omnes homines maximam sapientie laudem tribuunt, Egyptiorum doctrinis mentem excoluisse, atq; ita ad contem-

contemplationem veri Dei accessisse. Hoc exemplum meminerint studiosi contra quosdam indoctos, qui artes vituperant hoc prætextu, quod pietati officere videantur. Magis enim inscitia literarum, quam cognitio philosophiae omnibus etatibus Ecclesie nocuit.

Narrat præterea Iosephus libro secundo τῆς ἀρχαιολογίας Moysen versantem in aula Ægyptia duxisse exercitum contra regem Æthiopie, & illustre specimen virtutis in eo bello ostendisse. Sed quoniam nulla huius rei sit mentio in sacris literis, relinquo narrationem Iosephi in medio, & ad ea que certissima & verissima sunt accedo. Moyses anno etatis sua quadragesimo, teste protomartyre in Actis, inuisens fratres suos filios Israël, cum vidisset Israëlitam iniuria affici, defendit eum percuesso Ægyptio. Existimabat autem intelligere fratres suos, quod Deus per manum ipsius daturus esset salutem illis. At illi non intellexerunt. Altero die egressus vidit duos viros sue gentis inter se rixari, dixitq; ad iniuria autorem, quare percutis populariem tuum? Ceterum is qui faciebat iniuriam proximo, repulit eum dicens, Quis constituit te principem & iudicem super nos? Num occidere tu me vis, sicut heri occidisti Ægyptium. Hac voce auditâ fugit Moyses, & pere-

& peregrinatus est in terra Midian.
Brevis quidem est & simplex hec narratio,
quam Stephanus ex secundo libro Moysi re-
petiuit. Sed tamen de maximis rebus lecto-
rem admonet. Primum enim illustre exem-
plum fidei proponit, de qua Ebreos 11. scribi-
tur: Moyses grandis factus negavit se esse
filium filia Pharaonis pluris faciens societati-
tem afflictionum populi Dei, quam exigui
temporis delicias et maiorem opulentiam asti-
mans thesauro Agyptiorum probrum Chri-
sti. Respiciebat enim ad compensationem.
Etsi autem videtur amentis esse ipsum sibi
malam facere fortunam: tamen satius est
participem esse arumnarum Ecclesie, quam
ad florentem forenam impiorum se adiun-
gere. Nam bona externa, cuiusmodi sunt
opes, honores & voluptates, aut deserunt im-
pios in vita, aut ab eis deseruntur in morte,
ut Seuerius Imperator moritus Eboraci in
Britannia dixit, Omnia fui & nihil mibi
prodest. Et Saladinus Asie, Syriae atq; Aegypti rex iussit, ut post mortem suam interior
lineus amictus, quo indui solebat, haste pre-
longae impositus per castra portaretur, & is
qui cum ferebat, magna voce omnibus dice-
ret, Saladinum Asie domitorem ex tantis
opibus quantas pepererat unum hunc lineum
ami-

amicum secum in morte auferre. At bona Ecclesiae propria nec eripi nec surripi possunt unquam, neq; in morte amittuntur, nec fortuna permutatione mutantur.

Deinde factum Moysi defendantis suum popularem & interficientis Aegyptium ostendit quam vere à poëta de excellenti eximiaq; virtute dictum sit :

Ingenium cœlestis suis velocius annis

Surgit & ingratæ fert male damna more. Non enim progressum etatis expectauit Moyses, sed ineunte etate declarauit se natum esse ad Ecclesiam iuuandam, tutandam, conservandam. Scio de hoc facto Moysi varias esse doctissimorum hominum & discrepantes sententias. Sed haud dubie verissima est, que heroica facta supra regulam collocat, & mediocres homines admonet, ut se intra regule metas contineant.

Postremo exilium Moysi, quod durauit annos quadraginta docet præcipua lumina Ecclesiae, ut Ioseph, Moysen, Dauidem, Danieliem & alios non collocari ad gubernacula, nisi prius magnas calamitates certo Dei consilio tulerint. Nam crux est schola Spiritus sancti, in qua Dominus amicos sibi charissimos erudit, ut in Psalmo dicitur, Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, ut disce-

B rem in-

rem iustificationes tuas. Quemadmodum enim metalla in ignem coniecta aut purgantur, aut probantur, aut preparantur ad usus necessarios: ita crux aut purgat, aut probat, aut preparat pios, ut postea maiore cum frumentu Ecclesie & Reip. seruire possint. Qui enim non est tentatus, ut ait Siracides, qualia scit? Sed hec doctrina de cruce suo loco uberioris enarrari solet. Redeo igitur ad historiam. Non solum imperia, sed etiam coniugia fato seu ordinatione diuina constituantur. Regit enim Deus occasiones & animorum impetus in contrahenda societate, quæ quasi seminarium est Ecclesie & Reip. Huius assertoriationis illustre exemplum in historia Moysi proponitur. Cum enim Moyses exulans venisset ad quendam puteum, contentio & disceptatio extitit inter pastores & filias sacerdotis Midian de aquatione, cumque pro amore iusticie in natura sua insito imbecilliorem sexum aduersus iniuriam pastorum defendisset, hac occasione in sacerdotis noticiam venit, qui admiratus viri virtutem non modo officia sua prolixe ad eum detulit, sed etiam filiam tanquam pignus arctioris necessitudinis ei in matrimonium tradidit. Suscepit autem Moyses filium, quem appellauit Gersonem, ut mentione ipsa nominis admo-

admoneretur de suo exilio, in quo cum paſcendis onibus & cognitioni rerum deditus es-
set, peruenit ad montem Arabiae Sina, qui
natura saxus & abruptus in cœlum exurgit,
adeo ut difficilem laboriosissimumq; ad cacu-
men euidentibus ascensum præbeat.

Anno igitur etatis sue octogesimo &
exili⁹ quadragesimo vidit in deserto montis
Sina angelum Domini in flammæ incendio
rubi, & hanc vocem Domini auduit, Ego
sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham,
& Deus Isaac, & Deus Jacob. Solue calceau-
mentum pedum tuorum. Locus enim in quo
stas terra sancta est. Maxime intentis oculis
contemplatus sum afflictionem populi mei,
qui est in Aegypto, & gemitum eorum audi-
ui, & descendit ut eripiam eos ex manu Aegy-
ptiorum. In hac narratione primum confide-
retur persona loquens cum Moyse, quæ haud-
dubie est filius Dei ab eo. Ipse enim, ut ait
Tertullianus aduersus Prætean, ad humana
semper colloquia descendit, ab Adam usq;
ad patriarchas & prophetas, in visione, in
somnio, in enigmate, in speculo, ordinem su-
um prestruens ab initio semper. Sic Irenæus
dulcissime inquit, filium propterea dici ab eo,
quod sit persona loquens cum patribus, &
semper assit sue Ecclesiæ. Vocatur autem an-

gelus, quia est persona missa ad Ecclesiam, que profert Euangelium ex sinu aeterni patris, & nos alloquitur, seruat ministerium Euangeli, colligit Ecclesiam, & mentibus nostris ostendit voluntatem aeterni patris, ac dicit consolationem quam sonat vox Euangeli & assensionem confirmat.

Deinde obseruetur illustre testimonium de resurrectione mortuorum, quo Christus Dominus noster Sadduceos refutat: Deus est Deus viorum. Deus nominat se Deum Abraham postquam ex hac vita discessit. Venerabatur igitur Abraham & resurget.

Quid porro ad consolando animos efficacius dici aut cogitari potest, quam quod filius Dei affirmat se intentis oculis contemplari afflictiones piorum, & exaudire gemitus & vota conflantium cum cruminis? Nullus enim aurifaber sic desigit oculos in massam auri, quam igne probat, ut filius Dei nostra mala contemplatur. Nec vero animus hominis unquam tam auditus est ad accipiendum, quin filius Dei multo audior sit ad dandum, ut preclare Taulerus dixit, qui ante annos ducentos Argentinæ docuit, & libros Ecclesiæ utiles reliquit.

Post hanc narrationem sequitur glorio-
sa Moysi vocatio. Ideo enim propheta il-
lustri-

lustribus testimonij vocati sunt , ut sciat Ec-
clesia verbum , quod amplectitur & profite-
tur , diuina autoritate traditum esse . Ito , in-
quit filius Dei , quia mittam te ad Pharaonem
ut educas populum meum , filios Israël ex
Ægypto . Moyses vero modestissime respon-
det , Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem ,
& educam filios Israël ex Ægypto ? Non
imitatur Moyses philosophos , qui in illis ip-
sis libellis , quos de contemnenda gloria scri-
bunt , nomen suum inscribunt , & in eo ipso , in
quo prædicationem nobilitatemq; despiciunt ,
prædicari de se , ac nominari volunt , sed sine
ulla simulatione agnoscit suam infirmitatem ,
intelligit se nequaquam parem esse oneri gu-
bernationis , & tamen propter vocationem
non recusat subire tantam molem , & hanc si-
de sustinet , expectans auxilium à Deo , quod
quidem mox ei promittitur . Ego , inquit fi-
lius Dei , ero tecum , & de nomine Dei inter-
roganti respondetur , Sum qui sum , qui est
misit me ad vos , & additur , Deus patrum
vestrorum , Deus Abraham , Deus Isaac , &
Deus Jacob misit me ad vos , Hoc est nomen
meum in æternum & memoriale meum in ge-
nerationem & generationem . Cur querit
Moyses de nomine Dei ? Ut afferat testi-
monium aliquod suæ reuelationis . Traditur

ergo doctrina maxime salutaris eo loco. Testatur ille Deus, qui cum Moyse loquitur, se vere Deum esse. Qui est, id est, is qui unus est vere Deus, discernendus à communiis dīs, & hoc titulo discernendus, quod sit Deus Abraham, Isaac, Jacob, id est, ille Deus, qui ipsis verbum suum tradidit, quo agnoscit vult & discernit à dīs altiarum sectarum, sicut hic luculenta & insigni descriptione dictum est, hunc titulum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, fore sempiternum memoriale. Insignis reuelatio & promissio continetur in his verbis, Deus testatur se perpetuo seruaturum esse hoc unum & idem verbum, quod patribus tradidit. Semper ergo patrum Ecclesia mansura est.

Sæpe & hoc cogito hac descriptione significari, Qui est, id est, Ille ipse filius Dei, qui iam antea vobis est promissus. Idem hic iam misit me, hic idem iam quog, liberator erit. Nec ab hac interpretatione procul abest, quod alienarrant futuri temporis vocem urgentes. Ego ero qui ero, id est, Ego ille promissus vobis liberator adero, qui aliquanto post ero frater vester, assumta humana natura, & vos vere liberabo à peccato & à morte, & inter vos in carne resurgens à morte, regnum aeternum inchoabo. Hac interpretatio de

tio de filio Dei loquente & significante futurum aduentum, simul admonet auditorem de natura diuina in Christo, & apte congruit ad promissiones, quasi dicat, quid dubitas de liberatione? Ego ero qui ero, id est, Ego cum promiserim me futurum fratrem vestrum, & os ex ossibus vestris, & collecturum mihi Ecclesiam aeternam, nunc etiam adero, vos servabo, ne hic tyrannus vos opprimat. Ego ille ipse Deus, qui postea ero frater vester, nunc affuturus sum. Sic quadrabit & illud, Qui erit, misit me, id est, ille noster liberator, qui erit frater noster assumta carne, qui vobis promissus est, misit me. Recensui interpretationes loci in Moyse pias, ex quibus deligat lector quam volet, et si vicine sunt omnes, sed postrema accommodatior est ad Christi personam.

Ut autem Moyses haberet illustria testimonia sue vocationis, Deus mutat baculum Moysi in serpentem, & manum eiusdem leprosam in integrum restituit, & aquam ex flumine haustum vertit in sanguinem, quæ tantum naturæ omnipotentis opera sunt, cui soli creaturæ cedunt & obediunt. Nam transmutatio naturarum inter se, vel unius in alteram conuersio subita solo iussu effecta, non differt à creatione. Hæc vero & alia

miracula non propter illum tantum exhibita sunt, sed testimonia sunt utilia toti Ecclesie, quæ ostendunt doctrinam propheticam vere esse vocem Dei, & Deo curæ esse suos ministros. Ac sape mili de vocatione Moysi cogitanti venit in mentem dicti, quod apud Herodotum in Polymnia extat. Sic enim Arctabanus ad Xerxen dicit: ἀνὴρ δὲ ὁ ὄτων ἦν εἰς ἀγείροντας, εἰς βουλευόντας μηδὲ ἀγέρωδεις τῶν ὅπλων γενναῖος πεισθεὶς χρῆμα. ἐν δὲ τῷ ἑρεψι θραύσθη. Eum virum esse præstantissimum, qui inter cogitandum & deliberandum timidus sit, colligens omnia mala, quæ euenire posse videantur, in agendo vero confidentem se præbeat. Angitur Moyses iturus ad Pharaonem de facultate dicendi, & de socio tanti laboris, cum unius manus sit imbecillis pugna. Deniq; sollicitus est de defensione. His curis & sollicitudinibus opponit Deus consolations maxime congruentes. Pollicetur enim Moysi facundiam & defensionem, & adiungit ei fratrem Aharonem, sicut oratores proxime regibus adiuncti sunt. In hanc imaginem Moysi intuentes, simus amantes tranquillitatis, & tunc cum necesse est aliquid gerere, acres, non turbulenti in mouendo, & in agendo segnes, ut apud Thucydidem sapientissime præcipitur.

Quam

Quam porro difficile sit retinere fidem & spem, quoties non omnes cunctus respondent nostris imaginationibus, historia Moysi perspicue ostendit. Etsi enim populo persuasum erat Moysen diuinitus missum esse, & audita voce Abaronis de spe libertatis non praesens omnium modo effusa leticia fuerat, sed per multos dies gratis & cogitationibus & sermonibus reuocata, ut facile appareret, nihil omnium bonorum multiudini gratius liberate esse: tamen cum sentit se durius premi & exerceri quam antea, mergitur in dubitationem, & fremit aduersus Mosen & Abaronem. Nec vero populus duntaxat in hoc genero peccat, sed etiam Moyses dux populi cum Deo expositulat inquiens, Quare misisti me, nec liberasti populum tuum? Hac exempla dubitationum & impatientie proponuntur nobis propter duas causas, quarum prior est, ut agnoscamus vere peccata reliqua esse in renatis in hac vita, & vere doleamus nos circumferre tantam caliginem & infirmitatem, nec efferamus nos, quasi nihil in nobis vitijs sit. Altera causa est, ut cum videmus populum & Moysen quanquam infirmos receptos & sanatos esse, sciamus & nos vere recipi & sanari, sicut Esiae 42. dulcissime dicitur, Arundinem quassatam non franget, &

linum fumigans non extinguet. Hec consolatio pijs grata & necessaria est.

Cum igitur Moyses probe paratus & armatus esset contra impia terriculamenta, venit una cum fratre Aharone in aulam, & regem Aegyptium hac oratione compellat: Sic ait Dominus Deus Israël, Dimitte populum meum ut festum mihi celebrent in deserto. Aharon vero proiecit virgam suam coram Pharaone & seruis eius, & versa est in serpentem. Hoc miraculum eti Diabolus per incantatores & magos Aegyptios vicunque representauit: tamen ut vanitas harum prestigiarium appareret, deuorauit virga Aharonis virgas magorum. Sed ut mordacitas nitri augetur affusione acetii: sic in Pharaone creuit rabies audita voce mandati diuini, cui additum erat ingens miraculum. Quare cum hoc leni pharmaco nihil proficeretur, Deus iussit opponi extremo morbo extrema remedia, quorum decem ordine in historia commemorantur.

Ac primum quidem fuit conuersio aquæ in sanguinem. Hac pena, que durauit totos dies septem, congruit ad dictum, quod in Apocalypsi legitur cap. 16. Quia sanguinem sanctorum effuderunt, sanguinem eis dedisti bibere. Digni enim sunt.

Secun-

Secunda pœna fuit innumerabilis multitudine ranarum, de qua venuste dixit Augustinus Tractatus primo in Ioannem, Muscas & ranas, non ursos & leones Deus Pharaoni & seruis eius immisit, ut rebus vilissimis superbia domaretur.

Tertia pœna fuit phtiriasis, hoc est, morbus pedicularis in hominibus & iumentis. Et si autem magi Aegypti, quorum nomina Eusebius lib. 9. preparationis Euangelice ponit Iannem & Iambrem ex Numevio Pythagorico philosopho, umbras prima & secunda pœna suis prestigijs utcunq; representarunt: tamen tertiam imitari nullo modo potuerunt, sed exclamarunt, Digitus Dei hic est. Hoc ingenua confessio magorum admonet nos de discrimine inter miracula Dei & prestigias Diaboli. Nam Ecclesia habet miracula peculiaria & propria, longe supra demonum vires posita. Deinde Ethnica miracula sunt ad manifestas turpitudines stabilendas. At miracula Ecclesie directa sunt ad confirmationem veræ doctrinæ traditæ diuinitus & verorum cultuum, & consentiunt cum verbo ante patefacto de vero cultu & filio Dei.

Quarta pœna fuit varietas infectorum, que totum regnum Aegyptium vastarunt.

Quin-

Quinta lues sauiens in pecora. Sexta vehe-
mens exulceratio in corporibus hominum &
iumentorum. Septima Grando noua, inau-
dita & inusitata, que omnibus plantis & be-
stis & hominibus in agro versantibus perni-
ciem attulit. Octava incredibilis multitudo
locustarum depascentium quicquid à grandia-
ne intactum fuerat. Nona pœna fuit tri-
stissima caligo, que totam Ægyptum sic ob-
securauit, ut per triduum nemo hominem ho-
mo agnosceret. Carendo igitur Ægyptij in-
tellexerunt quam chara res sit lux Solis,
mundum qui illustrat uniuersum. Cum enim
quarto die sol illuxisset, tum sibi reuixisse vi-
debantur. Sed habentus commemoratas pœ-
nas longe superauit decima, cuius simile ex-
emplum non legitur in omnibus historijs.
Media enim nocte, qua Isrælite celebra-
runt primum pascha, percussit Dominus om-
ne primogenitum in terra Ægypti à primo-
genito Pharaonis usq; ad primogenitum ca-
ptivi & singulorum iumentorum, nec una
fuit domus, in qua non iaceret prostratum
ante oculos cadauer.

Quemadmodum autem in pœnis, que
Ægyptios oppresserunt, conspicitur ira Dei
aduersus idola, magiam, libidines & alios
horrendos furores: Ita conseruatio populi Is-
raël

raël, qui harum pœnarum expers fuit, est il-
lustre testimonium misericordiae & præsentiae
Dei in Ecclesia. Etsi enim Ægyptiorum
primogenita imperfecta sunt: tamen Deus
pepercit familiis Israëlitarum, quorum limi-
na conspersa erant sanguine agni. Eodem mo-
do transit Deus omnibus temporibus per mun-
dum puniens horribiliter contemnum mini-
sterij Evangelici & contumaciam in atrocibus
delictis, & tamen parcens reliquijs Ecclesie
conspersis sanguine filij sui.

Cum igitur Pharao & Ægyptij tantam
cladem accepissent, accidit eis, quod plerung,
bominibus nimia pertinacia atq, arrogantia
usū venire solet, ut eò recurrent, & id cupi-
dissime petant, quod paulò ante contemserant.
Nam Pharao, qui antea ignem & fulmina
spirauerat, & severissime edixerat ne Moses
deinceps in conspectum suum veniret, quasi
cum stupore consternatus vocauit Moses &
Abaronem noctu, eosq, hunc in modum allo-
cutus est: Surgite, exite de medio populi mei
vos & filii Israël, Ite seruite Domino. Ægy-
ptij vero urgebant populum, ut primo quoq,
tempore ex agro atq, sinibus Ægypti exirent.
Dixerunt enim, omnes moriemur. Quis au-
tem non iure miretur fidem & animi magni-
tudinem in Mose, cui mandatum erat ut e-
duce-

duceret populum Israëliticum ex Agypto
inuito & repugnante rege? Tantam rem
nec Scipio, nec Annibal, nec Alexander
Magnus suscipere ausus fuisset. Non enim
potuit educi populus sine ingenti motu & per-
turbatione totius regni, quod hac mutatione
graniter afflictum est. Ad tantum facinus
requiritur profecto excelsa constantia despi-
ciens omnia pericula & fidei certitudo, quam
in Moyse fuisse epistola ad Ebreos testatur:
Fide reliquit Agyptum haud veritus fero-
ciam regis. Perinde enim quasi vidisset eum,
qui est invisibilis, ita celso & magno animo
fuit. Quod si imperator aliquis eiusmodi mi-
lites haberet constanties in fide & spe auxili
diuini, haud dubie totum mundum parua ma-
nu debellaret. In talibus enim non solum con-
temptus mortis & periculorum est, sed & ani-
mus certus de victoria & gubernatione Dei,
qui docet manus eorum ad prælia & digitos
ad bellum, ut Psalmi verbis utar. Hæc non
sunt in Alexandro, qui quanquam magno
animo prædictus est, tamen gerit omnia sine
fide & invocatione. Abraham vero, Io-
seph, Moyses, Iosua, Dauid & alij p[re]i duces
firmiter & non dubitante fide & spe in pugnam
ruunt, & victoria diuinitus ornantur.

Obseruetur etiam in hac narratione 280-
volgo-

voloyia exitus Israëlitarum ex Ægypto,
quam probant Eusebius in Chronicis & Au-
gustinus in questionibus super Exodum. Dicit
autem textus in Exodo cap. 12. Ebraeos fuisse
hospiites in Ægypto annos 430. Inde Paulus
númerum sumvit inquiens Galat. 3. Post
promissionem Abræ datam usq; ad legis
promulgationem annos esse quadringentos &
triginta. Sunt igitur anni in Exodo & Pau-
lo non numerandi à descensu Iacob in Æ-
gyptum, sed à prima migratione Abræ ex
Haran. Est igitur populus Israël eductus ex
Ægypto anno mundi 2453. post conflagra-
tionem Sodome annis 406. Ante fabricatio-
nem templi Salomonis annis 480. Ante re-
surrectionem Christi 1542.

Fuit autem fama rerum gestarum in edu-
ctione populi Israël ex Ægypto tam celebris,
ut & Manethon sacerdos Ægyptius descri-
bat profecionem Ebreorum ex Ægypto, te-
ste Eusebio libro decimo præparationis Evan-
gelice, & Strabo libro decimo sexto secutus
priscas narrationes dicat, Mosen ducem fuisse,
qui magne multitudini persuaserit non re-
cte coli Deum ab Ægyptiis, ac simulachra
execratus sit, & docuerit quomodo Deus in-
nocandus sit.

Nec vero tacitus præterire possum parti-
culam

culam historiæ de spolijs Ægypti & de columna nubis & ignis. Etsi enim disputari solet, An recte fecerint Israëlite spoliantes Ægyptum: tamen non difficilis dijudicatio est consideranti regulam, Prima tabula moderatur secundam, ut cum præcipit Deus Abraham, ut filium interficiat, aut cum præcipit Israëlitis, ut auferant vasa Ægyptiorum: Talia mandata valent propter autoritatem diuinam, cum quidem etiam probabilem rationem habeant, quia Deus est magis Dominus nostri corporis & nostrarū rerum quam nosipſi.

Et autem pulcherrima imago in spolijs Ægypti proposita, quam Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 40. hoc fere sensu explicat: Quemadmodū Israëlite vasa Ægyptiorum ad uſus Deo placentes contulerunt: ita Christiani philosophiam, literas & linguas ad iustum prædicandi Euangeliū uſum transferre debent. Nam sobria philosophia, que non miscetur cum Euangelio, est ornementum & præsidium hominis docti in Ecclesia. Sed de studijs philosophie sepe alias dici solet. Nunc igitur in proposito cursu perseveret oratio.

Narrat historia populum Israël interdiu nube rectum, & noctu lucentibus flammis circumdatum fuisse. Hæc pictura dulcissimam conſo-

consolationem proponit, & quidem commone-
facit nos simul de magnitudine misericordiarum
& periculorum, & de defensione. Deus est
ignis consumens, ut Deuteronomij quarto
scriptum est, nec iram & iudicium eius susti-
nere Ecclesia posset. Ideo nube tegimur, & filii
us Dei umbraculum est inter Deum iudi-
cantem & nos. Dulciter fouemur, ne consu-
mamur horrenda ira Dei. Deinde oppugna-
tur Ecclesia a Diabolis, a tyrannis, & pre-
mitur inter communes calamitates generis
humani, & inter tumultus imperiorum. Sed
tanquam flammæo muro cincta est, ne Dia-
bolus & tyranni seuire in eam possint, ut fu-
rener cupiunt. Et tota hæc defensio compre-
hensa est in dicto Christi, quo nos dulcissime
consolatur, Nemo rapiet oves meas ex mani-
bus meis. Sed quoties has promissiones legi-
mus, audimus, cogitamus, quas quidem pro-
pter assidua pericula, semper in conspectu esse
oportet, simul doctrinam de fide & spe com-
plectamur. Non satis est audire promissio-
nem. Sed nostræ mentes fiducia filij Dei faci-
ant invocationem, ardenti fide petant gubernationem &
defensionem, & constanti spe
eam expectent. Et intuentes in filium Dei,
qui nobis umbraculum est & flammæus mu-
rus, vincamus dubitationes, metum, dolores

C nostros,

nostros, & statuamus nos ab ipso seruari, regi & protegi. Et hac fide & spe confantes sumus in confessione & omnibus officijs vocacionis nostræ.

Profecti autem Israëlite ex Agypto quartis castris pernenerunt ad mare rubrum, quod cum fama & auditione Pharao accepisset, regium exercitum ducens Israëlitæ persecutus est, qui erant inclusi partim mari, partim montibus, ne effugere possent. In hoc periculo, quod nullis humanis consilijs discuti poterat, Moyses clamat, Nolite timere, & videte salutem, quam Deus hodie vobis allaturus est, quasi dicat, Major est Dominus ad protegendum quam Diabolus ad impugnandum. Quare in persecutionib. nemo cogitet quod periculum Diabolus importet, sed consideret quod auxilium Deus præstet, nec mentem labefaciat humana infestatio, sed corroboret fidem diuinæ protectio. Tantum enim unusquisq; de Dei ope accipit, quantum se credit accipere, nec est quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit. Libet enim mihi eisdem verbis uti, quibus Cyprianus in exhortatione ad Martyrium usus est. Etsi autem fides Moysi fuit victrix omnium paucorum: tamen cor ipsius in his angustijs haud dubie sensit hec venenata tela Diaboli: Hic totus populus hodie

bodie peribit. Nam Pharao instat & urget,
 & quo tecumque verteris persequitur, ut nulla
 ratione liceat periculum effugere. Huius tan-
 ti mali tu solus es autor, quia eduxisti multi-
 tudinem Israëitarum ex Aegypto. Ad hec
 spectra Diaboli accessit clamor populi. Cum
 igitur itenarrabili gemitu Deū imploraret:
*Domine tuo iussu eduxi tantam multitudinem
 ex Aegypto, Quare fer nobis opem in extre-
 mo periculo atq[ue] discriminis constitutis, Deus
 qui muliò promptior est ad audiendum quam
 nos ad clamandum, exaudiuit gemitus &
 preces Moysi, & diuisit aquas maris rubri
 longo spacio per aliquot dies. Continet enim
 latitudo maris rubri ea parte, qua Israëlite
 transferunt, miliaria Germanica viginti
 vix etamp. Nec vero tanta multitudo subito
 traduci potuit per mare rubrum, sed consum-
 ti sunt in transitu dies sex aut octo, præsertim
 cum alijs parvulos humeris suis impositos ge-
 starent, alijs grandiusculos liberos manu pre-
 bensos secum ducerent, coniuges item aut gra-
 uidae difficulter procederent, aut sub ponde-
 re recens editi infantis ingemiscerent. In-
 terea diuisi undarum fluctus montium in-
 star constituerunt, & Israëlite fide transie-
 runt, quod cum tentassent impii regis copiae
 miraculosa inundatione oppresse atque ab-*

sorptæ sunt. Semper autem Ecclesia similis
est populo Israël transiunti per mare ru-
brum. Ut enim hic populus montibus & ma-
ri inclusus non humanae consiliis aut præsidij,
sed mirando opere Dei seruatur ac defendi-
tur: Ita Ecclesia omnium temporum versatur
in periculis, quæ humano consilio extirpari
non possunt, & tamen experitur diuinam li-
berationem ac defensionem. Confiscetur et-
iam in pena Ægyptiorum horibile exem-
plum iræ Dei aduersus peccatum. Regnum
illud omnium toto orbe terrarum florentissi-
mum subito tumultu dissipatur & evanescit,
consumta maxima parte hominum consumna-
tis cladibus multiplicibus, delecto rege & prin-
cipibus in mari rubro, deniq; mutata tota ren-
gui forma. He tragicæ calamitates fuerunt
pœne idolatriæ, magie, libidinum & crudeli-
tatis aduersus sanctos.

Et quoniā dato beneficio postulat Deus
gratiarum actionem, ut in Psalmo dicit, In-
voca me in die tribulationis, & eripiam te &
glorificabis me, Moyses & filii Israël hoc
carmen Domino cecinerunt: Cantabo Domi-
no, quia fecit rem gloriosam, equum & fesso-
rem eius precipitauit in mare. Fortitudo mea
& laus mea Dominus, & factus est mihi in
salutem, & quæ in eodem carmine sequuntur.
Maria

Maria quoq; soror Moysi & Aharonis ornata dono prophetiae sumsi tympanum in manum suam, & carmen à fratre compositum in choro muliebri repetiuit.

Moyses vero profectionem Israëlis sic gubernabat, ut reliquo mari rubro progredentur in desertum Sur, cumq; tridui iter confecissent, non inuenierunt aquas. Et cum venissent quintis castris in Mara, non potuerunt bibere aquas propter amarum saporis. Clamanit ergo Moses ad Dominum, qui ostendit illi lignum, quo in aquam conicello sapor aquae mutarius est. Hæc amara aqua significat afflictiones, quas omnes homines naturaliter fugiunt & reformidant. Sed arumne aliquo modo dulcescunt p̄s, qui Christum pendentem in ligno crucis aspiciunt, & postquam fide beneficia huius Domini amplexi sunt, exemplum eiusdem adimitandum sibi proponunt, ut Petrus inquit, Christus passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, ut vestigia ipsius sequamur. Est & illa sententia consideratione dignissima, quam his senarijs Nazianzenus expressit:

ὅταν τῷθ' ὑβρισὶ συκάῃ πλὸς οὐδὲ φένε
μηδὲντι χεισοδ, τῶν ἐκείνου τελυμάτων
πόση δὲ μοίρα ταῦτα τῶν τὰ δειπότε
ὡς δ' ἀγ τὸ λυπούμενον εἶδατι σβέσσους.

C 3 Quan-

Quando iniuria inflamat tuum animum
Veniat tibi in mentem Christi & vulne-
rum illius.

*Et cogita quota hæc pars sit collata ad
 passionem Domini.* (gues.

Tunc dolorem quasi aquæ infusione extin-
Cum autem tricesimo die post exiitum ex
Ægypto populus Israël duce Moysè peruenis-
set in desertum Sin, quod est inter Elim & Si-
nai, & fame laboraret, Deus eodem die ve-
spcri misit intra castra magnam vim coturni-
cum, & postridie manna de cœlo sparsit, quo
innumerabilem multitudinem Israëlitarum,
annos totos quadraginta in deserto aluit, ut
restaretur non casu spargi res necessarias vita
corporis, sed has ipsas res etiam Deo guber-
nante offerri, præsertim Ecclesia. Diserte
enim textus inquit, Ego Dominus pluam vo-
bis panem de cœlo.

Postea cum Israëlite venissent in Raphi-
dim multi homines omnium atatum siti con-
tabuerunt. Hac tanta calamitate Deus ali-
quandiu multitudinem puniuit, sed tamen ut
Ecclesiam seruaret iubet Mosen ferire petrā,
ac promittit se inde effusurum esse flumina
prabitura potum uniuersæ multitudini. Hac
narratio de Moysè feriente petram proponit
imaginem Christi percussi à lege. Cum enim
M oses

Moses petram percussu singulari & ineffabili consternatione animi, significatum est, lege percuti Messiam, id est, in populo legis & propter legem percuti filium Dei, mirando temperamento iusticia & misericordia. Etsi enim recepit Deus genus humanum per misericordiam: tamen tantum malum est peccatum, ut iusticia Dei postularit pænam & compensationem equivalentem seu æquor, ut in Euangeliō nominatur.

Eodem in loco precibus Moysi victus est exercitus Amalechiticus, qui vagantes in deserto Israëlitas opprimere conabantur. Sic Esaia precante liberatur obsidio ne Ierosolyma, & multa similia exempla legenduntur, ut Iacobus Episcopus seruat Nisibin, cum oppugnaretur à rege Persico, ut narrat Theodoretus libro secundo historiæ Ecclesiastice cap. 30. Preclare ergo Macarius bonilia 43. inquit: Si fuerint dæmones robustis montibus fortitudine pares, tanquam ab igne cera, comburentur ab oratione. Nam precibus depelluntur Diaboli, reprimuntur tyranni, imo ex ipsis regnis excutiuntur, profligantur exercitus. Sed de efficacia piæ precationis alio quodam loco plura dicentur. Nunc ad historiam redeo. CVM populus adhuc hæret in

C 4 Raphi-

Raphidim, venit ad generum Moysen sacerdotem Iacobum in Midian, eisq; non solum gratulatus est Dei presentiam & auxilium, sed etiam saluberrimum consilium dedit de alleuanda mole gubernationis. Etsi autem Moses tantas res gesserat in Aegypto, in mari rubro & in deserto, & tanta sapientia praeditus erat, ut consilio egere non videtur, tamen sacerdoti bene monenti obtemperauit, ut exemplo suo nos admoneret non contemnendum esse fidele consilium propter personae inferiorem statum & conditionem.

Die quinquagesimo post exitum ex Aegypto, videlicet post primum pascha populi Israël in monte Sina intertonirua & fulgura sonuit vox Dei edens Decalogum, & vniuersa multitudo fuit spectatrix flammorum in monte, & sonantem vocem in monte magno cum pauore audierunt. Hac illustris parafactio exhibita est audientibus sexcentis milibus virorum, ut de Deo & de lege certa testimonia haberemus, & statueremus omnibus denunciari iram & pœnas contemnentibus aut violentibus legem Dei. Commoratus est autem populus Israël in solitudine ad montem Sinai integrum fere annum, & tabernaculum cum omnibus vasis ad sacrificia necessarijs iuxta Dei prescriptum fabricauit.

Sed

Sed nimis verum est quod dixit Euripides, *Otiosus exercitus similis est incendio.*
Nam populus otiosus & securus iussit fabricari vitulum haud dubie imitatione Aegyptiorum, qui coluerunt Apis specie tauri propter agriculturam. In hoc exemplo consideretur quanta sit hominum miseria, quod post tanta miracula populus tamen recipit idoli cultum, quem sciebat à Deo damnatum esse, & quod Aharon assentetur. Ac de populo quidem textus inquit in Exodo cap. 32. *Sedit populus manducare & bibere & surrexit ludere, id est, in luxu & in otio homines frigidi us inuocant Deum, & maiore audacia fini gunt opiniones de Deo.* Aharon vero permittit fabricationem vituli, ut populum si stat, id est, inflectit religionem ad fistendum tumuleum, ut nunc reges attemperant religionem ad splendorem aularum suarum. Propter hanc idolatriam Deus tantas irae flamas concepit, ut uniuersam multitudinem unā cum Abarone delecturus fuerit, nisi Moyses ardentissima precatione Dominum placasset, in qua sunt duo argumenta, unum à causa impulsu, alterum à causa finali, & insigne mōdes. Urget enim promissionem iure iurando Dei confirmatam, & petit se ex audi propterea, ut sit aliqua pars generis

humani, in qua Deus agnoscatur & inuocatur, & ut blasphemii confundantur, qui magnos triumphos acturi essent si Deus sineret funditus interire suam Ecclesiam. Addit etiam insigne & memorabile tabdos: Aut dimitte populo peccatum, quo pollutus est, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. O admirabilem & pene incredibilem vim amoris erga inobedientes & ingratos, qui toties vociferati sunt se ipsius tyrannide ex Aegypto eductos esse. Manuit enim Moyses cum populibus suis in eternum abiectus esse, quam sine illis salutem consequi. Sic Paulus optat fieri anathema pro fratribus. Hec exempla animo colligentes infirmitatem nostram deploremus, & a Deo petamus ut nobis datur Spiritum dilectionis erga Deum & proximum.

Cum autem Deus iusta ira aduersus populum Israël propter idolatriam commotus, negaret se populo praeitorum esse per desertum, & tanquam abiecta eius cura, iam Moysi omnem gubernationem commendaret, ac promitteret se illi additurum esse angelum, qui esset dux populi, nec amplius cum populo, sed tantum cum Mose loqueretur. In hoc colloquio primum petit Moses, ut Deus ipse assit gubernator & dux huius populi, cui dedit verbum & promissiones. Sic igitur

igitur inquit: *Nisi tu ipse precedas nos, ne educas nos de hoc loco. Deinde cum per-*
tit, ostende mihi gloriam tuam, hic respon-
det Deus, Faciem meam videre non pote-
ris. Sed ecce locus apud me, ubi consistes in-
nixus petra, cumque transibit gloria mea,
ponam te in foramine petrae, & protegam
te dextra mea, donec transfiero, & aufer-
ram manum meam, & videbis posterio-
ra mea, faciem autem meam videre non po-
teris.

Hanc admirandam historiam, qua nulla
 abstrusior est in toto Moses, quidam sic ex-
 ponunt: Petet Moses, ut Deus premon-
 strat cursum totius huius gubernationis populi.
 Et si enim Moses educens populum ex A-
 Egypto norat parendum esse voce diuina, &
 sciebat hos labores non fore irritos: tamen
 omnes casus tanquam futuras tempestates
 non prouidebat, minimeq; cogitabat quadra-
 ginta annos tantam multitudinem inter A-
 rabum saxa & in vasta solitudine circum-
 ducentam esse sine certa sede. Deus vero re-
 spondet Moysi, nolle se cerni faciem, id est,
 consilia sua ante finem consummata Eccle-
 sia, sed videre nos posteriora, id est, in con-
 summatione visuros esse gloriam, interim la-
 tere Ecclesiam in foramine petrae, id est,
 in pre-

in praesenti statu subiectam cruci, & tamen
tegi eam manu Dei. Hæc sententia gratissi-
mam consolationem nobis proponit, quia te-
statur Ecclesiam nunc tegi manu Dei, & po-
sseta glorificandam esse, latere autem in for-
mine petræ, id est, in praesenti statu innixam
petræ Christo.

Alij vero, inter quos est Augustinus
enarrans Psalmum 138. & in questionibus
super Exodum, intelligunt Mosen sustinere
personam sui populi, & hanc interpretationem
tradunt. Petet Moses conspectum filij Dei,
qui est splendor gloriae aeterni patris, Pater
vero respondet, Ego faciam transire coram
te, id est, coram populo tuo omne bonum me-
um. Nam in Christo sunt omnes thesauri
sapientiae, & in eo habitat omnis plenitudo
diuinitatis eternitatis. Ipse etiam filius affir-
mat se assumta natura humana fore mini-
strum & doctorem huius populi, Prædicabo,
inquit, in nomine Domini coram te, & qua-
le genus doctrinae allatus sit, his verbis o-
stendit, Miserebor cuiuscunq_z me miseret,
ac miserabor quemcunq_z commiserabot, id
est, dorebo Euangelium, quod excludit omni-
um hominum dignitatem, & affirmat cre-
dentes gratis recipi per solam misericordiam
propter mediatorem. Sed faciem meam vi-
dere

de e non poteris, scilicet in hac vita mortali.
 Nam in vita eterna omnes electi fruentur
 clarissimo conspectu Dei. Interea seruabit
 Deus hanc politiam innixam petre, donec
 transferit Christus de mundo ad Patrem.
 Post hunc vero transiit delebitur politia
 Mosaica, & Ecclesia collecta ex Iudeis &
 gentibus videbit posteriora Christi, id est, in
 verbo agnoscat cum visura faciem tunc cum
 glorificabatur in fine.

Altero die cum Moses ascendisset in
 montem gestans in manu sua duas tabulas lapi-
 das similes prioribus, quas iratus propter e-
 rectum vitulum aureum fregerat, descendit
 Dominus in nube, & stetit iuxta Mosen, &
 predicanit in nomine Domini, & transiit
 coram eo, & clamauit, Dominator Domine
 Deus, miserator & clemens, lentus ira &
 multæ bonitatis & verax, qui custodis mis-
 ricordiam in mille generationes, & remittis
 peccata, delicta & prævaricationes, & coram
 quo nemo est innocens, visitans iniquitates
 patrum in filiis & posteris usq[ue] in tertiam &
 quartam generationem.

Hæc narratio testatur filium Dei desen-
 disse in nube, & stantem iuxta Mosen speci-
 men edidisse eius doctrine, quam postea assun-
 ta natura humana illustravit. Summa au-
 tem

tem concionis hæc est: Sicut lex per Mosen data est, ita gratia & veritas per Christum facta est. Nam Pater placatus obedientia filij gratis remittit peccata, delicta & prævaricationes. Aspernatur hæc homines profani. Sed nos in Ecclesia non aspernemus similem Dei. Hunc unum sciamus constitutum esse propitiatorem, nec ullam esse sapientiam & iusticiam humanam anterendam huic mediatori.

Post hanc concionem commoratus est Moses in monte sine cibo & potu quadraginta diebus, quibus exactis redire ad populum, cumq^z descendenter de monte, facies ipsius sparsit fulgorem, ut aspici à populo non posset, ac propere cum loqueretur ad populum, texit faciem velamine, quod tamen ingrediens ad Dominum & loquens cum eo amouit. Huius historie significationem Paulus in posteriore epistola ad Corinthios exponit: Populus inuenitur faciem Moysi velatam, id est, legis opera externa utcunq^z audit & imitatur, & hæc imitatio est iusticia politica & Pharisaica, sed fulgorem Moysi ferre natura hominum non potest, id est, iudicium & iram Dei aduersus peccatum, que describitur lege Dei, nequaquam potest natura hominum tolerare. Quod vero dicitur Moy-

sen

sen amouisse velamen ingredientem ad Deum & loquentem cum eo, & completum esse luce diuina, significatum est aliam esse iusticiam, qua Deo sumus accepti, & qua Deum sustinere possumus, scilicet quando filius Dei loquens in nobis communicat nobis lucem suam. Ita velum legi detrabitur & collitur hypocrisis, & sunt in nobis iustitia & vita, quam lex describit, sed non exhibet, verum filius Dei exhibet, Ideo inquit Paulus, velum aboleri per Christum.

Caterum anno secundo post exitum populi ex Egypto mensis primi die primo, absolutis omnibus, que Moses iussus erat ad tabernaculi cultum & ornatum & sacrorum usum fabricare, tabernaculum nouum erectorum, & dedicatum est, quod statim maiestas Domini repleuit, nube densa per diem, & late fulgente flamma per noctem incubante tabernaculo. Ut autem tunc Deus approbavit testimonio presentie sue opera & cultus congruentes ad normam quam ipse tradiderat: ita omnibus temporibus efficax est in prædicatione Euangeli, & in usu legitimo sacramentorum, & semper aliquos regenerat ad vitam eternam. Si enim promulgatio legis non fuit inanis, sed habuit suos effectus, constitutionem politie Mosaica,

& mul-

& multa testimonia praesentie Dei: Quanto magis vox Euangelij erit efficax, & vere aferet eterna bona, que promittit, cum propter hoc ministerium priora omnia facta sint.

Mensis secundi die prima post exiitum ex Aegypto anno secundo Dei iussu Moses & Aharon numerarunt populum in deserto, & repererunt sexcenta tria millia quingentos quinquaginta viros egressos annum atatis vicesimum, non annumeratio Leuitis, quorum erant virginis duo millia, que multitudo uniuersa in deserto extincta est propter inobedientiam & ingratitudinem, nec plures de tanta turba quam duo Iosua & Caleb in terram patribus promissam introduceti sunt. Et si autem consilia Dei omnia in gubernatione Ecclesie enarrari non possunt: tamen consenteendum est iussisse Deum numerari populum, ut veritatem sue promissionis demonstraret. Cum enim ad Abraham dixisset: Multiplicabo semen tuum tanquam stellas cœli, & sicut arenam, que est in littore maris, nunc ipso facto ostendit sue promissionis veritatem, quia sexcenta tria millia quingenti quinquaginta viri numerati sunt bello idonei, utraq; semota atate tam immatura, quam prouectiore, similiter & genere fæmineo & leuiticatribus, que non est ceteris annumerata. Vo-

luit etiam Deus confici suam potentiam & libertatem, qua non est alligatus causis secundis, quia tantam multitudinem in sterili & deserto loco annos totos quadraginta pavuit, & mirabiliter protexit.

Cum autem populus Israël ad montem Sinai con sedisset undecim menses & viginti dies, die vicesimo secundi mensis anno secundo post exitum ex Aegypto nube eleuata a tabernaculo, signum profectionis accepit, & motis castris a monte Sinai processit triduum in deserto. Semper autem velut in deserto vagatur Ecclesia, exul & errans sine certa sede, sine humana defensione. Pertinet igitur imago populi Israël ad Ecclesiam omnibus temporibus, que ducitur per desertum, & tegitur nube et flammis coelestibus, & adest ei Christus, ut illis affuit. Quare confirmamus animos, & certo teneamus hanc sententiam, quod Deus sit seruarius Ecclesiam, que retinet doctrinam traditam a Christo, prophetis & apostolis.

Eiusdem mensis die vicesimo secundo populus mediocrem laborem itinerum recusauit ferre, & murmurare coepit contra Mosen. Quare Deus iratus fulmine accendit postremam partem castrorum, ubi cum ignis grafsaretur ita atrociter, ut videretur uniuersa

D castra

castra semel absunturus esse, agre tandem
precibus ad Deum, & lachrymis Moysi ac
irepide multitudinis incendium restinctū est.

Eodem anno Moses sentiens se imparem
esse moli gubernationis, septuaginta seniores
legit tanquam socios consiliorum & laborum.
Unius enim manus, ut ait Euripides, est im-
becillis pugna. Hic senatus mansit ad omnem
posterioritatem, ac fuit collegium doctissimorum
hominum, quod nominarunt Sanhedrin.

Eis autem populus non laborabat fame,
sed habebat mediocrem copiam victus: tamen
fastidens manna appetiuit carnes. Hanc
intemperantiam, ad quam & alia peccata
accesserunt, Deus grauior puniuit, ut scribi-
tur in capite undecimo Numerorum.

Porro ne quid decesset de cumulo miseria-
rum & difficultatum Moysi, frater Aharon
& soror Maria concipiunt flamas emula-
tionis, & cortant cum Moyse de antecellentia.
Sed Deus iram suam aduersus hoc pecca-
tum publica pena declarauit. Mariam
enim subita lepra percussit, que hæsit in ea
septem diebus. Ut autem Moses & David
tulerunt emulationem in fratribus suis: ita
nos eleganter toleremus collegas morosos, su-
ffricaces, inuidos, auidos glorie, agre ferentes
si negligi se putent.

Postea

Postea missi sunt exploratores in terram Canaan, qui omnes præter Iosuam & Caleb subita necesse coram populo diuinitus interfecti sunt, quia in concionem introducti populum consternatum reddiderant exaggerata & amplificata Canaanorum potentia & munitione urbium.

Hactenus continua historia primi & secundi anni post exitum ex Ægypto breviter indicata est, que satis declarat quanta fuerit moles negotiorum & periculorum in gubernatione Moysi. Fuit enim gubernatio prophetarum difficilior quam apostolorum. Nam prophetae duas res sustinuerunt, politicam gubernationem, & propagationem doctrine de promissionibus, de Messia, & de vita aeterna. Apostoli vero liberi à gubernatione politica, tantum circumtulerunt Euangeliū, etiam si habuerunt infinita pericula corporum, & arcana certamina cum Diaboli spectris & insidijs, & contentiones sine fine cum fanaticis doctoribus. Ac ut de ceteris prophetis non dicam, quam difficilis fuit gubernatio Moysi, qui annos quadraginta continuos in deserto conflictatus est cum populo durae cervicis, qui multoties negauit Moysen esse dum à Deo constitutum, sed vociferatus est eum esse impostorem. Et quanquam non est

leue onus ferre contumelias : tamen Moysen
multo durius exercuerunt animi dolores.
Agnoscebat Moyses iram Dei aduersus po-
puli peccata, lugebat populi interitum, pugna-
bat oratione pro populo, rixabatur cum sedi-
tiosis, perturbabatur exorientibus subinde
scandalis. Deniq; nulla oratio exponere po-
test difficultates, quas habuit gubernatio Moy-
si, praesertim in populo inquieto, seditione, &
ex alijs peccatis in alia ruente, & attrabente
pœnas, sicut Cæcias ventus nubes ad se traher-
re dicitur.

Sequitur historiæ triginta septem anno-
rum, que tribus capitibus numerorum recita-
tur, videlicet 15. 16. & 17. Quæ enim à ca-
pite vicefimo eiusdem libri usq; ad finem, &
in Deuteronomio exponuntur, pertinet ad an-
num quadragesimum, quo Abaron mortuus
est, cum vixisset annos centum & viginti tres.
Ac in capite quidem decimo quinto Nume-
rorum proponitur exemplum, quod ostendit
quantopere Deus irascatur violationi Sab-
bati. Nam violator Sabbati iussu Dei saxis
obruitur. Capite vero decimo sexto describi-
tur pœna horrenda Core & aliorum sedition-
orum, qui sacerdotium sine vocatione inua-
dere conati sunt. Nam factio Core hiatus
terra absorpta est, & quatuordecim millia
homini-

bominum & septingenti perierunt cœlesti flamma. Porro capite decimo septimo extat narratio de virga Aharonis, quæ contra naturæ ordinem floruit, & genuit amygdalas. Hæc summa est earum rerum, quæ annis triginta septem in deserto ante mortem Aharonis acciderunt, & à Moyse literis manda-tæ sunt.

Restat igitur postremus seu quadragesimus annus, quo Aharon mortuus est, & serpens æneus erectus, & victi duo reges Sihon rex Amoræorum, & Og rex Basan, quorum regna familijs Ruben & Gad & dimidiae tribui Manasse assignata sunt.

Cum autem Israëlitæ castra locassent in campestri regione Moab, conduxit Balac rex Moabitæ prophetam Mesopotamiæ Bileam, ut malediceret populo Dei seu diras contra eum recitaret. Et si autem hic propheta initio pietatis speciem præ se tulit, & populo benedictionem pronunciauit, & pulcherrima vaticinia edidit de maximis rebus, videlicet de Messia, quem nominat stellam orituram ex Jacob, & de Alexandro Magno, & de Romano imperio: tamen postea horribiliter lapsus est, & mercedem iniquitatis dilexit, ut Petrus loquitur, quia regi Balac dedit consilium de proponendo idolo Baal, quod fuit oc-

casio tristissime ruinae in populo Dei. Nam propter idolatriam & scortationem occisa scribuntur viginti quatuor millia hominum & suspensi omnium tribuum principes.

Et quoniam mentio vaticiniorum Bileam facta est, breuiter de eis dicendum videatur. Quod enim Bileam de Messia loquatur cum inquit Numerorum 24. Orietur stella ex Iacob, testatur Chaldaica versio, que his verbis eandem sententiam explicat, Cum surrexerit rex ex Iacob, & natus fuerit Messias ex Israël, interficiet duces Moab, & dominabitur omnibus filiis hominum. Intelligatur autem hoc vaticinium de ea sententia, de qua Esaias cap. 11. concionatur, Percutiet terram virga oris sui. Non enim armis constituitur regnum Christi, sed voce Evangelij colligitur Ecclesia. Deinde vaticinatur Bileam, venturas esse classes ex Kittim, que Assyrios & Ebraeos deleturae sint. Hic regna in Europa intelligit, & complectitur Alexandrum & Romanos. Nam Alexander non deleuit Ebraeos. Sciamus ergo Kittim gentes esse in Europa, ortas à filio Iauan Kittim, tum in locis Græcia vicinis, tum in Italia.

Quod vero ad pœnam populi & principum attinet, hoc nobis persuasum sit, idq; exploratum omnino ducamus, Deum duobus generi-

generibus peccatorum horribiliter irasci, videlicet idolatriæ & confusione libidinum, & aduersus utrumq; iram suam tragicis calamitatibus inde usq; ab initio declarasse. Quare cogitatione mandati diuini & penarum nos ad verum cultum Dei & ad castitatem extremus. Non enim dubium est præcipue puniri Turcica seruitute idola & libidines, quæ putantur esse concessæ voluptates non dignæ poena. Imitentur etiam pīj Magistratus Nemesis Pinehas interficientis stupratorem in tollendis idolis & illis diris portentis, quæ & iram Dei irritant, & polluant genus humaanum tetricis libidinum confusionibus, quia certissimum est Deum horribiliter irasci & ipsis libidinum confusionibus, & negligentia gubernatorum, qui eas non puniunt, nec fontes e medio tollunt.

Eodem anno iussit Deus populum denuo numerari, ut ostenderet sublati etiam patribus eundem superesse numerum. Iussit etiam sorte diuidi terram, ut litem & controversiam omnem tolleret. Iussit præterea Iosuam impositione manuum ordinari ad gubernationem populi Dei.

Nec vero silentio prætereundum est illustre testimonium presentie Dei exhibitum in pugna contra Midianitas. Nam maxima

hostium multi eundo interficita est , nullo Israe-
lita amissio. In ea clade Bileam quoq; impie-
tatis sue iustas pœnas persoluit. Eadem enim
pœna digni sunt qui sequuntur alterum , & ij
qui ipsi fuerunt impietatis duces , ut in Psal-
mo 125. scriptum est : Declinantes ad prau-
itates suas ducer Dominus cum operantibus
iniquitatem .

Eiusdem anni mense undecimo prima die
cœpit Moses repetere legem coram ijs , qui pro-
mulgationem legis factam in monte Sinai non
audierant . Nam illi qui ab ipso Domino
eam audierant omnes in deserto perierant .
Vocatur ergo quintus liber Moysi Deutero-
nomium , id est , secunda lex , non quod alia sit
quam ea , que in monte Sina promulgata est ,
sed quod repetita sit nouo pacto per ministeri-
um Moysi .

Et quoniam Moses non tantum mini-
ster est veteris testamenti , sed etiam prophe-
ta noui , intertexit huic repetitioni velut gem-
mam insignem promissionem de Messia , quam
Apostoli in Actis sape citant & illustrant :
Prophetam , inquit Dominus , suscitabo eis
de medio fratribus suorum , sicut te , & ponam
verba mea in ore eius , loqueturq; ad eos om-
nia , que precepero illi . Qui autem verba mea
que loqueretur in nomine meo audire noluerit ,
ego re-

ego requiram ab eo. Ideo autem diserte Dominus inquit, Ponam verba mea in ore eius, ut constet promissionem gratiae & vite eternae decretum esse immotum totius divinitatis, nec Christum afferre doctrinam a se uno ex cogitaram, sed tanquam legatum voluntatem Patris arcanae exponere. Particula vero in qua sit collatio Moysi & Christi dextre intelligatur. Primum enim ingens discrimen est personarum. In Moyse tantum erat humana natura obnoxia peccato & morti. In Christo non est tantum humana natura, sed etiam diuina. Deinde discernantur officia & beneficia Moysi & Christi. Moyses tantum fuit doctor & politicus gubernator & mediator typicus, non delenit peccatum & mortem. *Messias* autem non tantum est doctor, sed etiam propitiator & verus mediator inter Deum & homines tollens peccatum & mortem, nec est politicus gubernator, sed est victima pro peccato, & perpetuus sacerdos dans remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, nonam iusticiam & vitam eternam. De hoc discrimine Baptista inquit, Lex per Moysen data est, Gratia & veritas per Christum facta est, quasi dicat, Lex est ministerium offendans horrendum iudicium & iram Dei aduersus pecca-

D s tum.

rum. At vox Euangeli annunciat donari reconciliationem & vitam aeternam propter Christum mediatorem. His differentijs consideratis, non difficile est intelligere partculam, Sicut te. Quemadmodum enim Moyses immediatè à Deo vocatus est, & ornatus miraculis, que erant testimonia doctrinae: Ita Christus est persona ab aeterno Patre missa, & ornata testimonij quæ ostendunt Patrem aeternum fontem esse doctrinæ, quam hic doctor sonat, & approbatorem ac defensorem. Deinde sicut à Moyse reliqui prophetæ, sacerdotes & omnes doctores in illo populo acceperunt doctrinam de Deo, de lege, de moribus & cultibus, & contemnentes Moysen horrendis pœnis oppressi sunt, ut ordine historia indicat: Ita à Christo non solum apostoli, sed omnium temporum ministri in Ecclesia vocem Euangeli acceperunt, & aspernantes hanc vocem pœnas presentes & aeternas sibi accersunt.

Porro ut cycni dicuntur cum cantu mori: sic Moyses vir Dei vocatus ad vitæ exitum canit praelarum carmen de beneficijs populo Israël exhibitis, & de alijs rebus magnis, & benedictiones singulis tribubus pronunciat, inter quas maxime excellit ea, que ad tribum leuiticam pertinet. Sic enim Moses tribum sacer-

sacerdotalem compellavit : Integritas tua & lux tua secundum virum sanctum tuum , quem tentasti in Massa , & cum quo litigasti ad aquas contradictionis . Qui dicit patri suo & matre suo , non noui eum , & ad filium suum , Ignoro , bi custodiunt eloquum tuum & patrum tuum seruant . Hi docebunt Iacob iudicia tua , & Israël legem tuam . Hi ponent incensum in ira tua , & holocaustum super altare tuum . Benedic Domine robori eius , & opera manuum eius approba . Vulnera lumbos insurgentium contra eum & hostium eius ne erigantur . Hac forma verborum alligat sacerdotes ad certum genus doctrinæ diuinis testimonij traditum per Mosen , prophetas , Christum & apostolos . Monet etiam quales debeant esse doctores , videlicet armati tali robore fidei contra metum in periculis , ut anteferant confessionem omnibus rebus humanis , vita , fama , paci publica , benevolentia principum . Deniq; promittit defensionem huic sacerdotio diuinatus ordinato , & minatur poenas hostibus huius sacerdotij .

Cum igitur hic dux chori prophetici vivisset annos centum & viginti , & fuisset fidelis seruus in tota domo Dei , mortuus est Calendis Martijs teste Iosepho in fine libri quarti , & ab ipso Domino sepultus est . Sic enim

enim Iosephus inquit: ἐτελούτητε δὲ τῷ ὕσα-
τῳ μηνὶ τὸ ἔτος, τὸν μὲν μανδύρων, δύσκου να-
λουμένου, ἀδάρου δὲ ὑφ' ἡμῶν ρουμενίᾳ. Mor-
tuus est postremo mense anni, qui à Mace-
donibus Dystrus, à nostris Adar appellatur
cum luna esset noua.

Recitavi qua potui breuitate & perspi-
cuitate historiam de vita & rebus gestis Moy-
si, de qua cogitantes primum omnium disser-
namus Moysen à Platone, quem Numenius
Pythagoricus philosophus vocat Mosen
Attice loquentem, & à Solone, Lycurgo, Za-
leuco & alijs legislatorib. Ethniciis. Eisi enim
Plato & legislatores extra Ecclesiam Deca-
logi particulam, quatenus de externa disci-
plina concionatur: explicant: tamen prorsus
ignorant promissionem de redemptore & de
vita eterna. At Moses cum integra legis e-
narratione coniungit promissionem de media-
tore, ut Christus inquit, Si crederetis Moy-
si, crederetis etiam mihi, quia de me ille scri-
psit. Deinde discernamus Moysen tanquam
ducem à reliquis prophetis. Quanquam enim
eadem vox est omnium prophetarum inde-
usq; ab Adam: tamen Deus ipse in capite 12.
Numerorum sic distinguit Mosen à reliquis
prophetis, ut dicat, Si fuerit inter vos propheta
Domini, hunc in visione me patefaciam,

aut

aut loquar cum eo in somnio. Sed non sic ser-
nus meus Moses, qui in vniuersa domo mea
fidelis est. Ore ad os loquor cum eo, & videt
Dominum in sua specie, non in enigmate aut
similitudine. Quid, quod Moses fecit maiori-
ra miracula in Ægypto & in deserto, quam
quisquam aliorum prophetarum, ut Deutero-
nomij ultimo scribitur. Non surrexit dein-
ceps propheta in Israël, sicut Moses, quem
nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus
signis atq[ue] portentis, ad que facienda Domi-
nus eum miserat in terra Ægypti coram
Pharaone & omnibus seruis eius, atq[ue] coram
vniuersa terra eius, & in omni manu robu-
sta, magnisq[ue] visionibus quas fecit Moses co-
ram vniuerso Israël. Postremo considerantes
historiam Moysi Deo gratias agamus, quod
hunc excellentem doctorem Ecclesie dedit, cu-
ius vestigia ceteri prophetae iusta veneratione
sequuntur, & pro nostra mediocritate imite-
mur Moysi fidem, dilectionem, modestiam,
lenitatem (Nihil enim poterat illo fieri mi-
tius) & diligentiam in omni officio.

Nunc aliquid addendum est de Moysi
scriptis. Constat autem Moysen scripsisse quin-
que libros, quos primum nobis vetustas com-
mendat, deinde rerum bonitas. De vetustate
Tertullianus in Apologetico inquit, Omnes
libros

libros unius prophetae scrinium seculis vincit,
in quo videtur thesaurus collocatus totius Iudaici sacramenti, & inde etiam nostri. Hanc sententiam multis argumentis confirmant Iosephus contra Apionem, Iustinus in parenatica oratione ad gentes, Eusebius in preparacione Evangelica, & Augustinus in libro 18. de C. D. capite tricesimo septimo. Rerum vero bonitatem ipsa lectio me tacentem ostendit. Necesse est nosse uniuersam historiam Ecclesie, quantum cognosci potest & propter testimonia de doctrina, & propter dijudicationem controuersiarum. Iam vero constat Moses complexum esse historiam duorum millium & quingentorum fere annorum ab initio mundi & generis humani usq; ad Iosuam, qui terram Canaan occupatam sorte inter filios Israe& diuisit. Hec sola utilitas & poterat & debebat pios hortari ad assiduam lectionem scriptorum Moysi. Sed accedunt plures utilitates, videlicet doctrina legis & promissio de mediatore, Miracula, que sunt testimonia de doctrina & de Ecclesia, Exempla confirmantia fidem nostram, Typi seu imagines dulcissime Christi & Ecclesia. Quae cum ita sint, ille se profecisse sicut, cui Moses fons totius sapientiae propheticae & Apostolice valde placebit.

FINIS.

IUDICIVM SVM-
MORVM THEOLO-
GORVM DE HOC
LIBRO.

Augustinus Psalmo 72.

QVICVID in eremo passus est
populus ille, & quicquid eis Deus largitus est, quæcunq; illa flagella
fuerunt, quæcunq; dona, significatio-
nes sunt rerum, quas in hac solitudine
huius vitæ ambulantes & in Christo
quærentes patriam, & accipimus ad
consolationem, & patimur ad proba-
tionem.

Philippus Melanthon in oratio-
ne de Ecclesia.

M A X I M E memorabilis est historia
liberationis populi Israël & educationis
ex Aegypto, & vt appareat omniū histo-
riarū, omnium atatu à principio mundi
vsq; ad finē, excepta ipsa Christi passio-
ne & resurrectione, longe maxima. Nō
solum enim est imago Ecclesie omnium
temporum, sed etiam præcipua pars,
plena

plena ingentium miraculorum, quæ & cæteris temporibus insignia exempla monstrat, quæ testantur, & seruari Ecclesiam ac regi à Deo sine præsidijs humanis, & exerceri varijs calamitatibus. Quam horrendum est in hoc cœtu, qui gerit nomen Ecclesiæ Dei, qui habet tot & tam illustria testimonia diuinorum liberationum, tamen præcipuam partem populi, multos præstantes viros, principes & gubernatores horribilib. exemplis puniri, multitudinem torties pleati, donec propemodum vniuersa perit eorum qui ingenti numero ex Aegypto exierant. Et tamen seruantur aliquæ populi reliquiæ, quæ manse- runt incorruptæ, & retinuerunt doctrinæ puritatem, & expertæ sunt mirandas liberationes, sicut ordine historia indicat. Datū est manna, datæ carnes, percussa rupes virga Moysi effudit largos fontes, Tecta est multitudo nube interdiu, & noctu flammis præluc- centibus. In prælijs etiam exhibentur illustria testimonia præsentia Dei. Deniq; in deserto maior fuit gloria huius populi, quam vñquam florente regno in terra Chanaan.

D I S P O-

D I S P O S I T I O
G E N E R A L I S
E x o d i.


SECUNDVS liber Moysi in quinque historias precipuas distribui potest, quarum PRIMA describit servitutem populi tristissimam in Ægypto, & gloriosam vocationem Moysi plenam ingentium miraculorum. Continet autem capita duodecim.

SECUNDA, quæ capita sex complectitur, recitat miracula edita in exitu populi ex Ægypto, & in traductione per mare rubrum & in deserto usq; ad legis promulgationem.

TERTIA capitibus tredecim comprehendit Decalogi & aliarum legum partim forensium, partim ceremonialium promulgationem.

QUARTA tribus capitibus, videlicet 32. 33. & 34. exponit fabricationem vituli aurei, & colloquium Moysi cum Deo.

QVINTA & postrema historia differit de fabricatione vasorum & ornamentorum tabernaculi. Continet autem capita sex usq; ad finem libri.



ARGUMENTVM
SECUNDI LIBRI
. MOYSI, QVI IN-
scribitur

Exodus.

QVEMADMODVM in Genesi re-
petitur & illustratur promissio
de venturo liberatore, & huic doctrinæ
exempla fidei illustria adduntur: Ita in
Exodo doctrina legis promulgatur,
quæ non solum discernit iusta & hone-
sta opera à contrarijs, sed etiam testa-
tur quod sit Deus, & qualis sit, & quod
iuxta hanc normam, quam in monte
Sina proposuit, omnium hominum
consilia & facta iudicaturus sit. Talis
est enim Deus, qualem se in lege pin-
xit, videlicet iustus, bēneſicus, caſtus,
verax, damnans iniurias, libidines &
mendacia. Et quoniam lex sine execu-
tione nihil valet, ideo exempla horri-
bilium pœnarum in hoc ipſo libro pro-
posita ſunt, quæ vniuersum genus hu-
manum de iusticia Dei & de futuro iu-
dicio commoneſaciunt. Sunt igitur
præcipui loci in Exodo, Imago illu-

stris de gubernatione & conseruatione Ecclesiæ diuina, Miracula quæ sunt testimonia patefactionis & sigilla doctrinæ, promulgatio Decalogi, Exempla iusticiæ Dei proposita in pœnis.

C A P V T . I.

Argumentum.

CVM IN Aegypto edictum à rege propositum esset, ut recens editi fœtus necarentur, & tentarentur omnes viæ premendi & delendi populi Israël, annis totis octoginta, tamen Deus mirabiliter eam gentem seruavit & auxit. Hec historia ostendit Ecclesiam assidue versari in periculis, quæ humanis consilijs discuti non possunt, & tamen seruari eam, restitui & erigi diuinitus.

T E X T V S.

HAEC sunt nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Aegyptū cum Iacob, quisq; cum sua domo ingressus est. Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Issachar, Zebulon & Beniamin, Dan & Naphthali, Gad & Aser. Fuerunt autem

tem omnes animæ , egressæ de femore Iacob , septuaginta animæ . Ioseph vero in Aegypto fuit , mortuusq; est Ioseph & omnes fratres eius , atque tota generatio illa. Et creuerunt filij Israël , & procrearunt numerosam sobolem , atq; multiplicati sunt , & roborati sunt valde nimis , repletaq; est terra ab eis.

Surrexit vero rex nouus super Aegyptum , qui non nouerat Ioseph. Dixitq; ad populum suum , Ecce populus filiorum Israël maior & fortior nobis est. Age , callide opprimamus eum , ne multiplicetur. Fieri enim posset , vt moto bello , sese hostibus nostris adiungerent , & contra nos pugnantes ex terra discederent . Constituerunt igitur super illum principes exactores operum , vt affligerent illum oneribus suis , extruxeruntq; vrbes Pithom & Raemes Pharaoni ad repositionem thesaurorum . Quanto autem magis afflix-

Non longo tempore post mortem Ioseph reges Aegypti abiecta doctrina Ioseph rursus idola coluerunt , & magicas artes amplexi sunt . Ita non diu retinent homines lucem veritatis , nisi diuinatus seruetur , sicut tunc veritas in populo Israël conservata est.

runt eum, tanto magis crescebat & augebatur, & auersati sunt faciem filiorum Israël. Et Aegyptij tristi seruitute oppreserunt filios Israël, & vitam eorum

acerbissimam reddiderunt duris laboribus lutis & laterum, & omnium operarum rusticarum. Nam omni genere laborum duriter exercebant eos.

Et dixit rex Aegyptius ad obstetrices Ebraeas, quarum una nominabatur Siphra, altera Pua, Quando officium vestrum foeminitis Ebraeorum parturientibus praestabis, & videritis in ipsis sellis, quod sit filius, interficietis eum. Sin autem erit filia, finite eam viuere. Sed obstetrices timuerunt Deum, & non fecerunt imperata regis Aegyptij, sed conseruarunt filios in vita.

Et vocans rex Aegypti obstetrices, dixit ad eas, quare fecistis rem istam, & conseruastis filios? Et responderunt obstetrices Pharaoni,

Non

Basilius in epistola ad Alexandrinos:
In persecutione Ecclesia crescit & maxime floret. οὐ τοῖς παρὰ τῷ ἔχεν δι-
ωγμοῖς πλησιάζει
εἰκλιπτικοὶ μῆλοι θάλασσαι.

Exemplum regu-
la Act. 5. Oportet
Deo magis obedire
quam hominibus.

Non sunt Ebreae sicut mulieres Aegyptiæ, Sunt enim viuaces, & priusquam ad eas venerit obstetrix, pariunt. Bene fecit itaq; Deus ob-

Occultatio officiosa.

stetricibus, & multiplicatus est populus, & in immensum creuit. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. Pracepit ergo Pharaon omni populo suo dicens, Omnem filium recens editum in flumen abijcite, & omnem filiam incolument seruate.

ses natus annis sexaginta quinque post mortem Joseph.

1. Tim. 4. Pietas habet promissiones præsentis & æternæ vitæ.

Edictum regis de necandis infantib. Hæc calamitas durauit annos octoginta, videlicet a nato Moysè usque ad exitum ex Aegypto. Est autem Mo-

C A P V T III.

Argumentum.

*H*vivs capitil tres sunt loci præcipui. *P*RIMVS de miranda conseruatione Moyssi, quæ est testimonium prouidentiæ Dei curantis Ecclesiam, & dantis ei gubernatores heroicos, quorum cursus est fælix & saluta-

E 4 ris. SE-

vis. SECUNDVS exemplum fidei in Moyse, de qua Ebraeos 11. scribitur, Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiae Pharaonis pluris faciens societatem afflictionum populi Dei, quam exigui temporis delicias maiores diuitias astimans thesauro Ægyptiorum probrum Christi. Respiciebat enim ad compensationem. TERTIVS locus est dulce testimonium, quod Deus preces Ecclesie afflictæ & miseris modis oppresse recipiat & exaudiat, & tandem suo consilio ex ini-
quissima conditione vita dilectam animam suam eripiat.

T E X T V S.

Abijt autem vir Amram pater
de domo Leui, Iochæbed
& accepit filiam Le- mater, Exodi 6.
ui. Et concipiens illa mulier peperit fi-
lium, cumq; videret eum esse pulchrum,
abscondit eum tri-
bus mensibus. Et
cum illum amplius
abscondere non pos-
set, sumxit arculam
arundineam, quam
liniuit luto atq; pi-

Ebraeos 11. Fide
natus Moyses oc-
cultatus est menses
tres a parentib. suis,
pterea quod vide-
rent elegantem pu-
ellum, & non veriti-
sunt edictum regis.
ce, &

ce, & reposuit in ea infantem, exposu-
itq; in carecto ad ripam fluminis. Et
stetit soror eius eminus, vt cognosce-
ret quid de eo futurum esset. Descen-
dit autem filia Pharaonis, vt lauaret se
in flumine, & deambulabant puellæ
eius iuxta ripam fluminis, & videns ar-
culam in medio carecti, misit famulam
suam, vt tolleret illam, qua aperta vi-
dit infantem, & ecce puer flebat, & mi-
ferta illius dicebat,

De pueris Ebraeorū
est. Dixit autem so-
ror eius ad filiā Pha-

Circumcisio dis-
cernebat Iudeos ab
aliis gentibus.

raonis, Ego ne vadam, vt vocem ad te
mulierem nutricem ex Ebrais, quæ ti-
bi lactet puellum. Respondit ei filia
Pharaonis, vade. Abiens itaq; puella
vocauit matrem pueri, quam filia Pha-
raonis his verbis compellavit, Tolle
puerum istum, & lacta eum mihi, ego
dabo tibi mercedem, & accepit mulier
illa puerum & lactauit eum. Creuit au-
tem puer, & adduxit illum ad filiam
Pharaonis, eratque ei loco filij, & vo-
cauit nomē eius Mo-
se. Dicebat enim, ex
aquis extraxi eum.

A&t. 7. Eruditus
est Moses omni sa-
pientia Aegyptiorū.

* Quodam autem tempore, cum Moses grandis factus esset, egressus est ad fratres suos, & vidit onera eorum, cumque videret virum Aegyptium percutientem quendam Ebraeum, qui erat ex fratribus suis, respiciens hoc atque illuc & neminem videns, percuttis Aegyptium, atque abscondit in arena. Altero autem die egressus vidit duos viros Ebraeos inter se rixari, dicitque ad iniuriæ autorem, quare percritis socium tuum? Qui respondit, quis constituit te principem & iudicem super nos? Num occidere tu me vis, sicut heri occidisti Aegyptium, Et timuit Moses dicitque, quomodo haec res innotuit? Et Pharaon hac de re certior factus, quærebat occidere Mosen, & fugiens Moses a facie Pharaonis commoratus est in Midian, sed sitque iuxta puteum. Erant autem sacerdoti Midian se-

Ebreos ii.

* Anno ætatis sue quadragesi. Act. 7.

Heroica facta sunt supra regulā. Quare mediocres homines continere se intra regulæ metas debent.

Augustinus Tra-
statu 15. in Ioan.
Vnusquisque seruus
Dei non peccat si
secesserit in alium
locum, videns furo-
rem persequentium
ptem

ptem filiæ, quæ venientes hauserunt aquam, impleueruntque canales, ut portarent oves patris sui. Et venerunt pastores & repulerunt eas. Itaque surgens Moses opem eis tulit, & potauit oves illarum, quæ cum rediſſent ad patrem suum Reguel, dixit ille, quare hodie tam cito rediſſisti? Responderunt, Vir Aegyptius liberavit nos de manu pastorum, & hauriebat nobis & potabat oves. Dixit ergo ad filias suas, vbi est ille? Quare sic dimiſisti virum illum, vt non inuitaretis eum ad coniuicium? Et consensit Moses habitare cum viro illo, deditq; ille Zipporam filiam suam Mosi, quæ cum peripſſet filium, vocauit ille nomen eius Gerson, Dixit enim, peregrinus fui in terra aliena.

Longo autē tempore post mortuus est rex Aegypti, &

se, aut quærentium in malum animam suam, Videretur autem sibi seruus Dei peccare si faceret, niſi in faciendo Dominus præcessifſet. Fecit hoc ille magister bonus ut doceret, non quod timeret.

Occasio coniugii diuinitus oblata.

Exul erat Christus, comites nos exulis huius

Esse decet cuius nos quoque membra sumus.

filij

filiij Israël gemitu deplorantes seruitutem clamarunt, & clamor à seruitute ortus ascendit ad Deum, Audiuitque Deus gemitum illorum, & recordatus est Deus fœderis sui cum Abraham, Isaac & Iacob. Et respexit Dominus filios Israël, & ratione eorum habuit.

Psal. 65. Exaudis orationē, ideo omnis caro ad te veniet, id est, Deus est promptissimus ad audiendum, modo nos prompti simus ad claman-
dum.

Psal. 10. Tu solus labores & dolores consideras.

C A P V T I I I.

Argumentum.

PRIMVS locus huius capitatis est testimonium de præsentia filij Dei in Ecclesia. Ipse enim, ut ait Tertullianus aduersus Præterianos, ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usq; ad patriarchas & prophetas, in visione, in somnio, in enigmate, in speculo, ordinem suum praestruens ab initio semper. Sic Ireneus dulcissime inquit, filium propter ea dici λόγον, quia sit persona loquens cum partibus, & semper assit sua Ecclesia. SECUNDVS est insignis promissio, qua testatur Deum per-

um perpetuo seruaturum esse hoc unum & idem verbum, quod patribus tradidit. Diverso enim inquit, *Hoc est nomen meum aeternum, & memoriale meum a generatione in generationem.* Semper ergo patrum Ecclesia mansura est. *TERTIVS est humilitas Moysi agnoscentis suam infirmitatem & tamen obedientis vocationi fiducia auxiliij diuinij.*

T E X T V S.

MOYSES autem pascebatur oves Iethro sacerdi sui, sacerdotis Midian, & agens gregem in interiores partes deferti, venit ad montem Dei Horeb. Et angelus Domini apparuit ei in flamma ignis de medio rubi, & videbat rubum ardere in igne & tamen non absu-
mi. Dixit ergo Mo-
ses, vad am & vide-
bo visionem hanc
magnam, quare non
comburatur rubus.
Cernens autem Do-

Anno aetatis sue octogesimo, Act. 7.

Personae loquens cum Moysè est filius Dei λόγος, qui affuit Ecclesiam inde usque ab initio. Vocatur autem angelus, quia est persona missa ad Ecclesiam, quæ profert Euangeliū ex sinu aeterni Patris, & nos alloquitur, seruat ministerium Euangeliū, colligit Ec- minus

minus quod iret vi-
dendi causa, vocauit
eum de medio rubi
& ait, Moses, Mo-
ses. Qui respondit,
Ecce ego. At ille,
Noli huc proprius ac-
cedere, sed exue pe-
des tuos calceis. Nā
locus in quo stas,
terra sancta est. Et
ait, * Ego Deus pa-
tris tui, Deus Abra-
ham, Deus Isaac, &
Deus Iacob, & texit
Moses faciem suam,
quia timuit Deum
aspicere. Et dixit
D O M I N U S , Maxi-
me intentis oculis
† contemplatus sum
afflictionem populi
mei in Aegypto, &
clamorem eius au-
diui de exactoribus
operarum. Cognoui
dolores eius, ideoq;
descendi ut liberarem eum de manu
Aegy-

clesiam, & mentib.
nostris ostendit vo-
luntatem æterni Pa-
tris, ac dicit consola-
tionem quam so-
nat vox Euangeli,
& assensionem con-
firmat.

Solutio calcero-
rum est symbolum
mentis non prophâ-
ne, non occupare
opinionibus aut af-
fectibus pugnantib.
cum verbo, sed p i x
& reuerenter acce-
dantis ad verbum,
ut in eo Deum lo-
quentem audiat, &
agnita Dei volunta-
te in ipsa voce diui-
na acquiescat.

*Testimonium de
resurrectione mor-
tuorum, quia Deus
est Deus viuorum,
Matth. 22.

† Deus multo vi-
gilat acrius ad salu-
tem, quam Diabo-
lus ad perniciē Ec-
clesiae.

Aegyptiorum , & educerem de terra ista in terram bonam & latam , in terram fluentem lacte & melle , videlicet in locum Chananæi , & Hitthæi , & Amorræi & Phœrisæi , & Hiuæi atq; Iebusæi . Cum igitur clamor filiorum Israël ad me peruerenerit , & viderim afflictionem , qua Aegyptij eos premuat , ito nunc , quia mittam te ad Pharaonem , vt educas populum meum , filios Israël ex Aegypto . Et dixit Moses ad Deum , Quis sum ego , vt vadam ad Pharaonem , & educam filios Israël ex Aegypto ? Et respondit , Ego ero tecum , & hoc erit tibi signum , quod ego miserim te , cum eduxeris populum illum ex Aegypto , coletis Deum super monte istum . Et ait Moses ad De-

Deus non præbet se otiosum spæctatorem calamitatum Ecclesiæ .

Moses agnoscit suam infirmitatem intelligit se nequam parem esse oneri gubernationis , & tamen propter vocationem non recusat subire tantam molem , & hanc fide sustinet , expectat auxilium a Deo , no*n* iudicat se suis consiliis & viribus restram periculosas regere posse , sed si quid feliciter gerit , scit se auxilio Dei gerere , nec despicit alia organa Dei .

um ,

um, Ecce si venero ad filios Israël , ac
dixerō eis, Deus patrum vestrorum mi-
sit me ad vos , ipsiq̃ responderint mihi,
quod est nomen eius , quid dicam eis ?
Et respondit Deus
Mosi, Ero qui ero, &
ait, sic dices ad filios
Israël , Qui Erit mi-
sit me ad vos . Et
rursum dixit Deus
ad Mosen , Sic dices
ad filios Israël , D o-
M I N V S Deus patrū
vestrorū , Deus A-
braham, Deus Isaac,
& Deus Iacob misit
me ad vos , Hoc est
nomen meum sem-
piternum, cuius me-
moria omnibus se-
culis conseruabitur.
Ito ergo & congre-
ga seniores Israël ,
& dic ad eos , D o-
M I N V S Deus patrū
vestrorum apparuit
mihi , Deus Abra-
ham , Isaac & Iacob

Ego ero qui ero,
id est , Ego ille pro-
missus vobis libera-
tor adero , qui ali-
quanto post ero fra-
ter vester , assumta
humana natura , &
vos vere liberabo a
peccato & a morte,
& inter vos in carne
resurgens a morte,
regnum æternū in-
choabo . Hec in-
terpretatio de filio
Dei loquente & si-
gnificante futurum
aduentū , simul ad-
monet auditore de
natura diuina in
Christo , & apte
cōgruit ad promis-
siones , quasi dicat,
Quid dubitas de
liberatione, Ego e-
ro qui ero , id est ,
Ego cum promise-
tim me futurū fra-
trem vestrum , & os
ex ossibus vestris ,
& collecturum mihi
dicens,

dicens, Visitaui vos & (vidi) quæ vobis acciderint in Aegypto, & dixi, Educam vos ex afflictione Aegyptia in terrâ Chananæi, & Hitthæi, & Amorræi, & Pherisæi & Hiuæi, atq; Iebusæi, in terram fluentem lacte & melle. Et cum audierint vocem tuam, ingredieris tu & seniores Israël ad regem Aegypti, dicetisq; ad illum, Deus Ebræorum vocavit nos. Sine ergo nos confidere iter trium dierum in desertum, vt sacrificemus D O M I N O Deo nostro. Sed ego scio, quod non concessurus sit vobis rex Aegypti vt abeatis, nisi in manu valida. Nam ego extendam manum meam & percutiam Aegyptum omnibus mirandis operibus meis, quæ facturus sum in medio eius, & postea dimittet vos. Illud etiam perficiam, vt hic populus valeat gratia apud Aegyptios, ne inde discedentes migretis vacui, sed postulabit mulier à vi-

Prima tabula Decalogi moderatur secundam, vt cum præcipit Deus Abraham, vt filium interficiat, aut cum præcipit Israëlitis,

F cina

cina sua & domesti-
ca sua, vasa argentea
& vasa aurea, atque
vestimenta, quæ im-
posita liberis vestris
eripietis Aegyptijs.

vt auferat vasa Ae-
gyptiorum. Ut autem
Islaëlitæ vasa
Aegyptiorum ad v-
sus Deo placentes
contulerunt: sic
Christiani philoso-
phiam ad iustū p̄x-
dicandi Euangelii vñsum transferre debent. Au-
gustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 40.

C A P V T I I I .

Argumentum.

P R A E C I P V S locus huins capitinis est
imago bonitatis Dei tolerantis infirmitatem
Moysi, & opponentis consolationes maxime
congruentes curis & sollicitudinibus Moysi.
Angitur Moses de testimonio vocationis
sue, Non credent mihi. Imo, inquit Domi-
nus, Instruam te talibus signis, quæ facile tibi
fidem & autoritatem conciliabunt. Angi-
tur Moses de facultate dicendi, pollicetur
Dominus facundiam, Ait enim, Quis dedit
homini os, &c. Angitur præterea de socio
tanti laboris. Adiungitur ergo Moysi Aha-
ron, sicut oratores proxime adiuncti sunt re-
gibus. Postremo sollicitus est Moses de de-
fensione. Affirmat Dominus mortuos esse,
qui

qui querebant animam Moysi, & promittere defensionem. Hanc imaginem sepe multumque intueamur, & agamus Deo gratias, quod recipit infirmos, ut Rom. 14. dulcissime dicitur, Infirmum in fide assumite. Deus enim assumxit eum.

T E X T V S.

REspondit vero Moses & ait, Ecce, non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, Non apparuit tibi DOMINVS. Et ait ad eum DOMINVS, Quid est quod tenes in manu tua? Respondit virga. Dixitq; DOMINVS, proifice eam in terram, & proiecit in terram, & factus est serpens, fugitq; Moses a conspectu eius. Et dixit DOMINVS ad Mosen, Extende manum tuam & apprehende caudam eius, Extendit igitur manum suam & apprehendit illum, factusq; est in manu eius virga. Hanc ob rem credent ti-

Moses cupit habere testimonium aliquod suæ vocationis.

I.

Tria testimonia de vocatione Moysi, quia necesse est Ecclesiam scire verbum, quod amplectitur, diuina auctoritate traditū esse.

bi, quod apparuerit tibi D O M I N V S
Deus patrum tuorum, Deus Abraham,
Deus Isaac, & Deus Iacob. Iterum ve-
ro D O M I N V S ad

eum dixit: Infer ma- I I .

num tuam in sinum tuum, & intulit
manum suam in sinum suum, cumq; ite-
rum protulisset eam, ecce manus eius
erat leprosa quasi nix. Et dixit, Resti-
tue manum tuam in sinum tuum, & re-
stituit manum suam in sinum suum,
cumq; protulisset eam è sinu suo, ecce
similis erat reliquæ carni. Quod si non
crediderint tibi, neq; audierint vocem
tuam priori signo (permoti) credent
tamen voci tuæ propter signum poste-
rius. Quod si nec duobus his signis cre-
diderint, neque au-

dierint vocem tuam, I I I .
sume aquam fluminis, & effunde eam
super aridam, & quicquid hauseris è
flumine vertetur in sanguinem. Dixit
autem Moses ad D O M I N V M, Inde usq;
ab eo tempore quo mecum locutus es
non fui præditus facultate dicendi,
quoniam sermo grauis mihi est, & gra-
uis lingua. Cui respondit D O M I N V S,
Quis dedit os homini? Aut quis fecit

mutum,

mutum , aut surdum , aut videntem aut cæcum ? Nonne ego D O M I N V S ? Nunc igitur vade , & ego adero ori tuo , & docebo te quæ loquaris . At ille , obsecro , inquit , D O-

Matth. 10. Non vos estis qui loquimini , sed Spiritus Patris est qui loquitur in vobis .

M I N E , mitte quem missurus es . Iratus ergo D O M I N V S aduersus Mosen dixit , Scio , quod frater tuus Aharon natus in tribu Levi , sit facundia præditus . Ecce prodibit tibi obuiam , & magnam ex conspectu tuo læticiam capiet . Loqueris igitur ad eum , & pones hæc verba in ore eius , Et ego adero ori tuo & ori illius , doceboq; vos quid agere debeatis . Et loquetur ipse pro te ad populum , eritq; ipse os tuum , & tu eris deus ipsius . Et hanc virgam in manum tuam sumes , qua signa editurus es .

Sicut ego tibi meum verbum tradidi , Ita tu dabis manda ta Aharoni . Erit ergo Aharon interpres tuarum cogitationū & tanquam orator additus regi .

Abiit igitur Moses & reuersus ad Iether sacerorum suum dixit , Sine me quæso abire , vt redeam ad fratres meos qui sunt in Aegypto , & videam an-

F 3 adhuc

adhuc sint superstites, cui respondit Iethro, vade in pace. Dixit quoq; D o m i n u s ad Mosen in Midian, vade & reuertere in Aegyptum. Nam mortui sunt viri illi, qui quarebant animam tuam. Tulit ergo Moses vxorem suam & filios suos, & imposuit eos asino, reuersusq; est in Aegyptum, & sumxit virginem Dei in manum suam. Et ait D o m i n u s ad Mosen, Cum reuersus fueris in Aegyptum, facies cuncta prodigia, quæ posui in manu tua, coram Pharaone, Ego vero indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum.

Indurabo, id est, finam indurari. Nā phrasis Ebraica non postulat hæc verba

durius exponi, vt

cum dicimus, Ne nos inducas in temptationem, id est, ne finas nos induci, aut inductos perire. Huius veræ explicationis testis est Augustinus in libro de bono perseverantiaz cap. 6. Nihil fit nisi quod Deus aut ipse facit, aut fieri permittit. Quod itaque dicimus, Ne nos inducas in temptationem, quid dicimus, nisi, Ne nos inferri finas.

Et dices ad Pharaonem, Sic ait D o m i n u s , Israël est filius meus primogenitus, Et ego præcipio tibi, vt dimittas filium meum, vt mihi seruiat. Hoc si facere recusaris, interficiam filium tuū primogenitum.

Cum

Cum autem in itinere esset in hospitio, occurrit illi Dominus & voluit eum interficere. Et accepit Zipora petram, & circumcidit preputium filij sui, & tangens pedes eius dixit, Tu mihi es sponsus sanguinem. Tunc ille dimisit eum, & ipsa dicebat, spose sanguinum propter circumcisionem.

Vicissitudo tentationum & consolationum.

Dixit autem Dominus ad Aharon, Ito obuiam Moysi in desertum, & abiens occurrit illi ad montem Dei, osculatusque est eum. Et exposuit Moses ipsi omnia verba Domini qui miserat eum, & cuncta signa quae præceperat ei. Abierunt ergo Moses & Aharon, & congregauerunt omnes seniores filiorum Israël. Et locutus est Aharon omnia verba quae dixerat Dominus ad Mosen, fecitque signa spectante populo, & populus credidit, cumque audirent, quod visitasset Dominus filios Israël, & respexisset afflictionem illorum, inclinato vertice adorarunt.

C A P V T V.

Argumentum.

*HISTORIA huic capituli docet quam
arduum & difficile sit perseverare in fide, spe
& patientia. Etsi enim populo persuasum
erat Mosen diuinitus missum esse, & instare
tempus liberationis: tamen cum sentit se
durius premi & exerceri quam antea, mer-
gitur in dubitationem, & frembit aduersus
Mosen & Aharonem. Nec vero populus
tantum in hoc genere peccat, sed etiam Moses
dux populi cum Deo expostulat inquiens,
Quare misisti me, nec liberasti populum tu-
um? Hæc exempla dubitationum & impa-
tientie proponuntur nobis propter duas cau-
sas, P R I O R est, ut agnoscamus vere pecca-
ta reliqua esse in renatis in hac vita, & vere
doleamus nos circumferre tantam caliginem
& infirmitatem, nec efferamus nos, quasi ni-
hil in nobis vixit. A L T E R A causa est,
ut cum videmus populum & Mosen quan-
quam infirmos receptos & sanatos esse, scia-
mus & nos vere recipi & sanari, sicut Esaia
42. dicitur, Arundinem quassatam non fran-
get, & linum fumigans non extinguet. Hæc
consolatio pijs grata & necessaria est.*

T E X T V S.

Postea

Postea ingressi sunt Moses & Aha-
ron & dixerunt ad Pharaonem :
Sic ait DOMINVS Deus Israël, dimi-
te populum meum, vt festum mihi cele-
brent in deserto. Et dixit Pharao, Quis
est Dominus, vt audiam vocem eius, &
dimittā Israël ? Non
noui Dominum, nec
Israël dimittam. Et
dixerunt , Deus E-
breorū vocauit nos.
Sine ergo nos con-
ficeretur iter trium die-
rum in desertum , vt
sacrificemus D o-

Salomon Prouer.
25. Canens bonum
carmen prauo cor-
di infundit acetum
super nigrum . Ut
enim mordacitas ni-
tri augetur affusio-
ne aceri, sic tyranni
audita vera doctri-
na fiunt rabiosiores,

M I N O Deo nostro , ne forte accidat
nobis pestis aut gladius . Et ait ad eos
rex Aegypti , Quare vos Moses & A-
haron liberatis populum ab operibus
suis. Ite ad labores vestros. Dixit quo-
que Pharao, Ecce nimis magna est mul-
titudo populi in terra , & vos reuocatis
eos à laboribus suis. Et illo die præce-
pit Pharao exactoribus populi atque
præfectis eius, dicens , Non dabitis de-
inceps stramen populo ad conficiendos
lateres sicut antea , sed ipsi euntes col-
ligant stramen , Et numerum laterum,

F 5 quem

quem haec tenus fecerunt, imponetis eis, nec quicquam immi-
nuetis. Nam otio torpent, ideoq; clama-
mant dicentes, Ibi-
mus & sacrificabi-
mus Deo nostro.

Premantur homines mole laborum, vt
aliquid agant, nec moueantur vanis ser-
monibus. Egressi itaq; exactores popu-
li & præfecti eius dixerunt ad populu: Sic ait Pharao, Non dabitur vobis stra-
men. Ite vosipſi & colligite stramen ubi-
cunque id inuenieritis, nec propterea
quicquā imminuetur de labore vestro.
Dispersus est ergo populus per totam
terram Aegypti, vt colligerent stra-
men. Et exactores vrgebant eos dicen-
tes, Perficit laborem vestrū diurnum,
sicut antea cum haberetis stramen. Et
percussi sunt præfecti filiorum Israël,
quos constituerunt super eos exactores
Pharaonis dicentes, Quare nec hodie
nec heri perfecistis laborem diurnum &
statutum in parandis lateribus? Et ve-
nerunt præfecti filiorum Israël & cla-
marunt ad Pharaonem dicentes, Qua-
re sic

Hinc natum est
tritum sermone pro
uerbium, Quando
duplicatur lateres,
tunc venit Moyies,
hoc est, quando gu-
bernatores onerant
populum supra vi-
res, impendet fata-
lis periodus.

re sic tractas seruos tuos? Non datur seruis tuis stramen, & tamen imperantur nobis lateres, & ecce serui tui percutiuntur, & populus tuus reatu sustinet. Supplicans tyranno perinde facit ac si nauis supplicet scopulo.

Qui ait, Otio vos torpetis, otio inquam torpetis, Ideo dicitis, Ibimus & sacrificabimus D OM IN O. Nunc igitur ite & facite operas, Stramen quidē vobis non dabitur, & tamen summam laterū redideris. Et viderunt præfecti filiorum Israël omnia in peius ruere, quia dicebatur, nihil minuetis de labore diurno nec de summa laterū, cumq; à Pharaone discederent, occurrerunt Mosi & Aharon, & stantes in conspectu eorum dicebant,

Videat Dominus & indicet vos, qui odi rem nostrum foetidū reddidistis corā Pharaone & coram seruis eius, & tradidistis eis gladium in manum ad nos trucidandos. Reuersus

Mora exercebat Israëlitas, postquam Moyses promisit liberationem, nec statim eduxit populū ex Aegypto, imo irritauit tyrannum, ut seruitutem exasperaret.

est autem Moses ad D OM I N V M & dixit, Quare male fecisti populo tuo, & quare

quare misisti me? Ex eo enim tempore
quo veni ad Pharaonem, vt loquerer in
nominet tuo, magis afflixit hunc populū,
nec tu liberaſti populum tuum. Et dixit
D O M I N U S ad Mosen, Nunc videbis
quæ facturus sim Pharaoni, quoniam
in manu valida dimittet eos, atque in
manu robusta ejciet eos ex terra sua.

C A P V T V I.

Argumentum.

T R A D I T V R in hoc capite doctrina
maxime salutaris de modo, quo Deus vult
agnosci & inuocari. Nam de essentia diuina
inquit, *Ego sum Ichoua, id est, essentia eter-
na, omnipotens, non obnoxia ulli corruptioni,*
ac conditrix rerum, que omnes natura sua
*sunt imbecilles & languide, nec possent dura-
re, nisi à Deo conseruarentur.* Ut autem E-
lohe nomen commune est, quo etiam gentes
utabantur, sic Ichoua proprium est, quo De-
um sola Ecclesia patrum & Israëlitarum
compellabat, & sciungebat suam inuocatio-
nem ab Ethnica inuocatione. Deinde de vo-
luntate inquit, *Ego sum Deus Abraham,
Isaac & Iacob, id est, qui me certis testimo-
nijs pa-*

nisi patefeci Abraham, Isaac & Jacob, & tradidi eis promissiones. Quare in omni inuocatione alloquamur verum Deum, qui se in Israël patefecit, & verbum suum nobis tradidit.

TEXTVS.

ET locutus est Deus ad Mosen & dixit ad eum, Ego sum D O M I N V S & apparui Abraham, Isaac & Jacob, vt essem ipsorum Deus omnipotens, sed nomen meū I E-

H O V A non patefeci eis. Constitui quoq; foedus meum cum eis, vt darem eis terram Chanaan, in qua pegrinati sunt. Audiui etiam gematum filiorum Israël, quos Aegyptij servilibus operis premunt, & recordatus sum fœderis mei. Ideo dicas filijs Israël, Ego sum D O M I N V S, & educam vos ex oneribus Ae-

Nomen I E H O V A non fuit ignotū patribus, sed conseruntur hoc loco ministeria patrum & Moysi. Collegerunt quidem patres aliquam Ecclesiam ex Cananæis & Palestinis. Sed nequam conferendus est hic exiguus cœtus cum maxima multitudine, quam Moses ex Aegypto eduxit, & postea in deserto gubernauit. Loquitur ergo textus de propagatio ne doctrinæ, non de gypti,

gypti , & eruam vos
de seruitute eorum
atqe redimam vos in
brachio extento , &
in iudicijs magnis ,
& assumam vos vt
fitis meus populus , & ero vester Deus ,
vt cognoscatis quod ego sim D O M I N V S
Deus vester , qui vos eduxit ex
oneribus Aegypti & introduxit in ter-
ram , pro qua leuaui
manu meam , vt da-
rem eam Abraham ,

Isaac & Iacob , Hanc vobis tradam ad
possidendum , Ego D O M I N V S . Et re-
tulit hec Moses ad filios Isra\text{el} , Sed
non audierunt Mo-
sen propter gemi-
tum & angustiam &
duram seruitutem.
Leuare manum
significat gesum iu-
rantis .

Locutus est autem D O M I N V S ad
Mosen dicens , Ingredere & loquere ad
Pharaonem regem Aegypti , vt dimittat
filios Isra\text{el} de terra sua . Et locutus est
Moses coram D O M I N O dicens : Ec-
ce filij Isra\text{el} non audiunt me . Quomo-
do igi-

sapientia patrum ,
qui semper hunc ve-
rum Deum inuoca-
uerunt .

Repetitio pro-
missionis de futura
liberatione populi .

Summa ars Chri-
stianorum est cre-
dere inuisibilia , spe-
rare dilata , & a-
mare Deum ostend-
entem se tanquam hostem & inimicum , &
sic ad finem usque perseverare .

do igitur Pharao me audiet cum sim circumcisus labijs? Et locutus est DOMINVS ad Mosen & ad Aharon, dicens eis mandatum ad filios Israël & ad Pharaonem regem Aegypti, ut educerent filios Israël de terra Aegypti.

Hæc sunt capita in unaquaque familia patrum, Filij Ruben primogeniti Israël, Hænoch & Phallu, Hezron & Charmi. Hæc sunt familiae Ruben. Filij Simeon, Iemuël & Iamin, O-had & Iachin, Zohar & Saul, filii Chananeæ, Hæc sunt familiae Simeon. Et hæc sunt nomina filiorum Leui, in generationibus suis, Gerson & Kehath atque Merari, & anni vitæ Leui fuerunt triginta septem & centum anni. Filij Gerson, Libni, & Simehi, per familias suas. Filij Kehath Amram & Iizhar, Hebron

Genealogia Moy-
si describitur propter congruentiam
prædictionum & e-
uentuum. Prædictum
enim Deus Gen. 15.
fore, ut generatione
quarta post descen-
sum Iacob in Aegy-
ptum Israélitæ li-
berentur a seruitute
Aegyptiaca.

Huic prædictioni
respondit eventus.
Nam Moses est se-
ptimus ab Abraham
& quartus a Leui
filio Iacob.

Abraham	
Isaac	Iacob
Leui	Kehath
Amram	Moses

Hæbron & Vziel. Anni autem vitæ Kephath fuerunt triginta tres & centum anni. Porro filij Merari, Mahli & Musi. Hæ familiae Leui per generationes suas. Accepit autem Amram Iochæbed amitam suam sibi in vxorem, genuitq; illa ei Aharon & Moses. Anni autem vitæ Amram fuerunt triginta septem & centum anni. Filij Iizhar, Corah, Næphæg & Sichri. Filiij autem Vziël, Misaël & Elzaphan, & Sithri. Accepit etiam Aharon Elisæban filiam Aminadab sororem Nahasson sibi in vxorem, quæ peperit ei* Nadab & Abihu, Eleazar, & Ithamar. Filiij Corah, Assir & Elkana atque Abiasaph. Hæ cognationes Coritharum. Eleazar autem filius Aharon accepit sibi

Parentes Mois Amram & Iochæbed.

Corah, Dathan & Abiron hiatu teræ absorpti sunt eū inuasissent sacerdotium sine vocatio-
ne, Num. 16.

Num. 25, suspenderuntur propter con-
fusionem libidinum duodecim principes, inter quos fuit Nahasson affinis Moyse & Aharonis.

* Duo filii Aharon maximi natu Nadab & Abihu freti prærogatiua ætatis sacrificarunt sine vocatione, ideoque flammis consumti sunt.
de fi-

de filiabus Putiēl (ynam) in uxorem ,
quæ peperit ei Pinehas , & hæc sunt ca-
pita patrum Leuitarum per cognatio-
nes suas .

Hic est Aharon
& Moses , ad quos
dixit D OM I N V S ,
Educite filios Israël
de terra Aegypti cū
exercitibus eorum .
Ipsi sunt qui loque-
bantur ad Pharaonē
regem Aegypti , vt
educerent filios Is-
raël de Aegypto , vi-
delicet Mose & Aharon .

Quodam vero die locutus est D OM I N V S ad Mosen in terra Aegypti di-
cens , Ego D OM I N V S , Loquere ad
Pharaonem regem Aegypti omnia quæ
loquor ad te . Et ait
Moses coram D OM I N O , Ecce ego in-
circumcisus sum labijs , & quomodo
audiet me Pharaō .

Gloriosa vocatio
Moyſi & Aharonis ,
Ebræos 5 . Nemo
sibi sumat hono-
rem , sed vocetur a
Deo sicut Aharon .

Quam difficilis
res sit contradicere
magnis principibus ,
& eorum volunta-
tes offendere , non
potest vlla oratione
explicari .

Spiritus promtus ,
Caro infirma .

C A P V T VII.

G

Argu-

Argumentum.

CV M omnibus temporibus inde usq; ab initio Diabolus opera Dei imitatus sit, & quibusdam prestigijs, quandoq; & veris miraculis suos furores confirmarit, diligenter discrimen consideretur miraculorum Ecclesie & Diaboli, que differunt partim impossibilitate, partim finibus. Primum enim Ecclesia habet miracula peculiaria & propria, longe supra demonum vires posita, que nullo modo Diabolus imitari potest. Sic Moses multa ingentia edit miracula, quorum eis quadam Diabolus per incantatores & magos Egyptios representat: omnia tamen prastare nequit, Estq; inter illa miracula hoc vel maximum, & Diabolo prorsus inimitabile, quod Moses diuidit aquas maris rubri longo spacio per aliquot dies. Alterum discrimen sumitur a finibus miraculorum. Nam Eborica miracula sunt ad manifestas turpitudines stabiliendas. At miracula Ecclesie directa sunt ad confirmationem vere doctrinae traditae diuinitus, & verorum cultuum, & consentiunt cum verbo ante patefacto de vero cultu & filio Dei.

T E X T V S.

Et di-

ET dixit DOMINVS ad Mosen,
Ecce constitui
te deum Pharaonis,
& Aharon frater tu-
us erit propheta tu-
us. Tu loqueris om-
nia, quæ mandauero
tibi, & Aharon fra-
ter tuus loquetur ad
Pharaonem, vt di-
mittat filios Israël
de terra sua. Et ego indurabo cor Pha-
raonis, & multiplicabo signa mea &
prodigia mea in terra Aegypti. Sed
Pharao non audiet
vos, vt extendam ma-
nū meam super Ae-
gyptum, & educam
exercitus meos, po-
pulum meum, filios
Israël ex Aegypto
per magna iudicia. Et reipsa comperi-
ent Aegyptij quod ego sim D O M I N V S,
cum extendero manum meam super
Aegyptum, & eduxero filios Israël de
medio eorum.

Fecerunt itaque
Moses & Aharon si-

Appellatio dei
hoc loco significat
officium diuinum,
vt Psal. 81. Ego di-
xi dñi estis, id est,
custodes verbi Dei,
& organa operum
Dei. Sic Moses fuit
custos verbi Dei, &
per eum miranda
opera Deus fecit.

Pharao volens ar-
det ira & cupidita-
te, & obtemperat
Diabolis eum inci-
tantibus, estque in
ipso Pharaone cau-
sa reiectionis.

cut præceperat illis
D O M I N V S.

das esse nostras ima-
ginationes , sed in
omni deliberatione

mandatum Dei & vocationem considerandam
esse. Deinde non ignauiam aut contumaciam in
voluntate nostra confirmandam esse , sed obedi-
endum mandato & vocationi diuinæ , sicut Psal-
mo 105. de Mose & Aharon dicitur , Non repu-
gnauerunt sermonib. eius. Postremo petendum
esse auxilium Dei in tanta mole negotiorum &
periculorum , quam sola humana sapientia &
humanæ vires sustinere nequaquam possunt.

Et Moses erat o- Aetas Mosis &
ctoginta annorum , Aharonis.
& Aharon octoginta trium annorum
cum ad Pharaonem loquerentur. Di-
xitq; D O M I N V S ad Mosen & Aharon,
Cum dixerit vobis Pharao , ostendite
signa vestra , dices ad Aharon , Tolle vir-
gam tuam , & proijce ante Pharaonem ,
ut fiat serpens. Ingressi itaq; Moses &
Aharon ad Pharaonem , fecerunt sicut
præceperat D O M I N V S , proiecitq; A-
haron virgam suam coram Pharaone
& seruis eius , & versa est in serpentem.
Vocauit autem Pharao sapientes & in-
cantatores , Et magi
Aegyptij eadem fa- Eusebius lib. 9.
ciebant suis incan- præp. Eu. hæc ver-
tationibus. Nam sin- ba ex Numenio Py-
thagorico philoso-
guli

guli proiecerunt virgas suas, quæ versa sunt in serpentes. Sed deuorauit virga Aharon virgas illorum, induratumque erat cor Pharaonis, nec audiebat eos, sicut prædixerat D o M I N V S.

stere iussi, minimas calamitates, quas Moyses Aegypro immittebat, vt cunque mitigare potuerunt.

Dixitq; D o M I N V S ad Mosen, Durum est cor Pharaonis, & recusat dimittere populum, Vade ad Pharaonem mane, Ecce egredietur ad aquas, & stet in regione eius in ripa fluminis, & sume in manum tuam virgam, quæ versa fuit in serpentem, dicesq; ad eum, D o M I N V S Deus Ebræorum misit me ad te dicens, dimitte populum meum, vt seruat mihi in deserto, Sed hactenus noluisti audire, Ideo sic dicit D o M I N V S, In hoc cognosces, quod ego sim D o M I N V S, Ecce ego percutio virga quæ in manu mea est, aquam quæ in flumine est, & vertetur in sanguinem. Et pisces,

G 3 qui

pho citat : Iannes & Iambres fuerunt Aegyptii sacerdotes, qui nemini in arte magica cedere videbantur, tempore migrationis Iudeorum ex Aegypto. Moysi igitur Iudeorum duci, qui Deo preces adhibere norat, a turba Aegyptiorum resiste

ttere iussi, minimas calamitates, quas Moyses

qui sunt in flumine morientur, & fetebit flumen, & Aegyptij abhorrebunt à potu aquæ haustræ ex flumine.

Spartianus in Pescennio: Pescennius militibus in Aegypto vinum querentibus dixit, Ni-

Jum habetis & vinum queritis: Siquidem tanta est illius fluminis dulcedo, ut accolæ vina non querant.

Et dixit D O M I N V S ad Mosen , dic ad Aharon , Tolle virgam tuam & extende manum tuam super aquas Aegypti super flumina eorum, super riuos , & stagna illorū , & super cunctam congregationem aquarum , ut fiant sanguis, & sit sanguis in tota Aegypto in ligneis & lapideis vasis . Moses & Aharon fecerunt sicut præceperat D O M I N V S , & ellenans virgam percussit aquas quæ erant in flumine coram Pharaone & seruis eius , versæq;

Virga Moysi est imago ministerii Eu angelici . Ut enim virga fuit instrumentum, quo maxima miracula in Aegypto edita sunt: sic Euangelium est organum , quo Deus in Ecclesia effractus est.

I. Plaga. Conversio aquæ in sanguinem .

Sapientia n. Per quæ quis peccat per eadem punitur.

Apocal. 16. Quia sanguinem sanctorū effuderunt , sunt

sunt omnes aquæ flu-
guinem eis dedisti
minis in sanguinem. bibere. Digni enim
Pisces quoq; qui e-
sunt.

rant in flumine mortui sunt, & sc̄t̄ere.
cœpit flumen, nec poterant Aegyptij
bibere aquam fluminis, fuitq; sanguis
per totam terram Aegypti. Et fece-
runt eadem magi Aegyptij incantatio-
nibus suis, & induratum est cor Pha-
raonis, nec audire eos, sicut prædix-
rat D O M I N V S. Et Pharao auertens
se rediit in domum suam, neq; hanc
rem in animum induxit. Foderunt au-
tem omnes Aegyptij in circuitu flumi-
nis vt inuenirent aquas, quia non po-
terant bibere aquas fluminis. Et ex-
acti sunt dies septem

Postquā D O M I N V S Prima plaga du-
percusserat flumen. rauit dies septem.

C A P V T V I I I .

Argumentum.

*I*n p̄enis Aegypti considerentur exem-
pla iræ Dei, & gratiæ. Ut enim Deus A-
gyptios propter idolatriam, libidines & ty-
rannidem aduersus Ecclesiam horrendis pæ-

G 4 nis op-

*nis oppresſit, ſic pepercit Iſraēlitis, ut hoc loco
diſerte dicitur, Ponam liberaſionem inter
populum meum & populum tuum. Adiun-
gamus igitur nos ad veram Eccleſiam Dei,
ut in ea velut in arca abditi in his horrendis
confuſionibus generis humani ſeruemur.*

T E X T V S .

Dixit autem D O M I N V S ad Moſen, Ingredere ad Pharaonem & dic ad eum, Sic dicit D O M I N V S, Di- mitte populum meum, vt ſeruant mihi. Hoc ſi recuſas facere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis, & ſcatebit fluuius ranis, quæ ascendent & venient in domum tuam, & in cubi- culum tuum, & ſuper lectrum tuum, & in domum ſeruorum tuorum, in popu- lo, atq; in furnos tuos, & in maſſam tuam. Imo in te atq; in populum tuum & in omnes ſeruos tuos ascendent ra- næ. Et ait D O M I N V S ad Moſen, Dic ad Aharon, Extende manum tuam cum virga tua ſuper fluuios, ſuper riuos & ſuper stagna, vt ad- ducas ranas ſuper Aegyptum. Et extendit Aharon ma- num fu-

I I. Ranæ

num suam super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq; terram Aegypti. Eodem modo fecerunt magi incantationibus suis, & adduxerunt ranas super terram Aegypti.

Augustinus Tractatu i. in Ioannem: Muscas & ranas, non vrsos & leones Deus Pharaoni & seruis eius immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur.

Vocauit autem Pharao Mosen & Aharon & dixit eis, Orate D O M I N V M, vt auferat ranas à me & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificent D O M I N O : Et dixit Moses ad Pharaonem, Sit electio penes te quando debeam orare pro te, pro seruis tuis, atq; pro populo tuo, vt remoueantur ranæ à te & à domo tua, & tantum in flumine remaneant. Qui ait, cras, & ille dixit, Iuxta verbum tuum (fiet) vt experiaris, quod nemo sit sicut D O M I N V S Deus noster. Itaq; recedent ranæ à te, & à domo tua, & seruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remanebunt.

Et egressi sunt Moses & Aharon à Pharaone, & clamauit Moses ad D O M I N V M propter ranas, de quibus Pha-

G 5 raoni

raoni spem fecerat.

Psal. 144. Voluntatem timentium se faciet , & deprecationem eorum exaudiet.

Et fecit D O M I N V S iuxta verbum Mosi ,

& mortuæ sunt ranæ in domibus , in atrijs & in agris . Et congregarunt eas in varios ac diuersos aceruos , & fœtuit terra . Videns autem

Pharao quod aliquid laxamenti natus esset , indurauit cor suum , & non audiuit eos , sicut prædixerat D O M I N V S .

Rom. 2. An diuitias bonitatis eius & patientia & longanimitatis contemnis ? An ignoras p̄ benignitas Dei te ad p̄nitentiam inuitat ? Secundum

autem duriciem tuam & impoenitens cor colligis tibi iram in die iræ , & revelationis iusti iudicii Dei , qui reddet ynicuique secundum opera sua .

Dixitq; D O M I N V S ad Mosen , loquere ad Aharon , extende virgam tuam & percutre puluerem terræ , vt fiant pediculi in tota Aegypto . Fecerunt autem sic . Extendit enim Aharon manum suam , & virga sua percussit puluerem terræ , & facti sunt pediculi in hominibus & iumentis . Omnis puluis terræ versus est in pediculos in tota Aegypto . Fecerunt quoq; similiter magi vt pro-

I I I . Pediculi .

duce-

ducerent incantationibus suis pedicu-
los, sed non potue-

runt. Eterant pedi-
culi in hominibus &
iumentis. Dixerunt

ergo magi ad Pharaonem , Digitus
Dei est hic , & induratum est cor Pha-
raonis, nec audiuit eos sicut prædixerat
D O M I N V S.

Dixit quoq; D O M I N V S ad Mosen,
Mane surgens sta coram Pharaone, qui
egredietur ad aquas & dices ad eum,
Dimitte populum meum vt seruant
mihi, Hoc si recusas facere, ecce immit-
tam tibi & seruis tu-

I I I I. Insecta.

is, & populo tuo , &
domibus tuis insecta , & implebuntur
domus Aegyptiorum insectis , & agri
& quicquid in eis reperitur. Et faciam
illo die aliquid singulare in terra Go-
sen, quam populus meus incolit , vt ibi
non sint insecta, vt experiaris quod ego
sim D O M I N V S in medio terræ , & po-

nam liberationē in-
ter populum meum
& populum tuum.
Cras signum illud
fiet. Fecitq; D O M I -

Deus discernit pi-
os ab impiis , vt in
diluvio , in deletio-
ne Sodomæ, in pœ-
nis Aegypti , in po-

N V S

NVS sic, & venerunt plurima insecta in domum Pharaonis, & in domum seruorum eius, & in omnem terram Aegypti, & vastata est terra ab illis insectis. Et vocauit Pharao Mosen atq; Aharon, & ait, Ite, sacrificare Deo vestro in hac terra. Cui respondit Moses, Non decet nos sic agere, quoniam abominationem Aegyptiorum sacrificaremus D O M I N O Deo nostro. Ac si sacrificaremus abominationem Aegyptiorū coram ipsis, nonne lapidarent nos? Iter trium dierum conficiemus in desertum, & sacrificabimus D O M I N O Deo nostro sicut præcepit nobis. Et ait Pharao, Dimittam vos, vt sacrificetis D O M I N O Deo vestro in deserto, dummodo non longius abeatis & oretis pro me. Et dixit Moses, Ecce cum à te discessero, orabo D O M I N U M vt cras recedant insecta à Pharaone, & à seruis eius, & à populo eius. Sed deinceps non perget Pharao insidiose mecum agere, vt non dimittat popu-

lum ad
stremo excidio Ierusalem.

Omnia anima-
tia fuerunt idola
Aegyptiorum præ-
ter porcum. Herodotus lib. 2. Stra-
bo lib. 17.

lum ad faciendam rem diuinam D O M I N O . Egressus itaq; Moses à Pharaone orauit D O M I N V M , & fecit D O M I N V S iuxta verbum Mosis , & recesserunt insecta à Pharaone , à seruis eius & à populo eius , nec ullum relictum est . Et indurauit Pharao cor suum etiam hac vice , nec dimisit populū .

C A P V T . I X .

Argumentum.

Cv m Dominus sit beneficus generig, hominum amicus, p̄nas misericordia temperat, & ut propheta ait, in ira misericordie recordatur. Huius sententiae illustre exemplum in hoc capite proponitur. Nam Ægyptijs grandinem immissores, denuntianit illis, ut seruos & pecora domum cogerent. Vere igitur in Psalmo 36. dictum est, Homines & iumenta seruabis Domine.

T E X T V S .

Dixit autem D O M I N V S ad Mosen, Ingredere ad Pharaonem & loquere ad eum : Sic ait D O M I N V S
Deus

Deus Ebræorum , Dimitte populum
meum vt seruant mihi . Quod si no-
lueris dimittere , & diutius detinueris
eos , ecce manus D O M I N I erit super
gregem tuum , qui est in campo , & in
equis , in asinis , in
camelis in armentis

V. Lues.

atq; in ouibus lues saeuissima (grappa-
bitur) Et faciet D O M I N V S quiddam
mirabile inter pecora Israël & pecora
Aegyptiorum , vt nihil moriatur ex om-
nibus quæ sunt filiorum Israël . Et con-
stituit D O M I N V S tempus dicens ,
Cras faciet D O M I N V S hoc super ter-
ram . Et fecit D O M I N V S hoc mane ,
& mortuum est omne pecus Aegyptio-
rum ; De pecore autem Israël ne vnum
quidem mortuum est . Et misit Pharaon ,
& ecce non erat mortuum de pecori-
bus Israël ne vnum quidem . Sed indu-
ratum est cor Pharaonis , nec dimitte-
bat populum .

Et ait D O M I N V S ad Mosen & ad
Aharon , Tollite plenis manibus fuli-
ginem ex fornace , & spargat illam
Moses in cœlum coram Pharaone ,
cumq; pulueris instar sparsa fuerit per
vniuersam Aegyptum , efflorescent in
homini-

hominibus & iumentis vlcera ardentia
per totam Aegy-
ptum. Tulerunt ita-

V I. Vlcera.

que fuliginem de fornace, & steterunt
coram Pharaone, sparsitq; illam Mo-
ses in cœlum, & effloruerunt vlcera ar-
dentia in hominibus & iumentis. Nec
poterant magi stare coram Mose pro-
pter vlcera, quia e-
rant vlcera in ma-
gis & in omnibns
Aegyptijs. Sed D o-
MINVS * indurabat
cor Pharaonis, ne
audiret eos, sicut
prædixerat D o-
MINVS Mosi. Dixitq;
D o-
MINVS ad Mo-
sen, Mane surgens
sta coram Pharaone
& dic ad eum, Sic di-
cit D o-
MINVS Deus

Ebræorum, dimitte populum meum vt
seruiāt mihi, Alioquin hac vice immic-
tam omnes meas plagas in medium tui,
& in seruos tuos atq; in populum tu-
um, vt scias quod
non sit similis mei in

De magis Aegy-
ptiis vericulus pro-
verbialis usurpari
potest. Aliorū me-
dicus ipse vlceribus
scatens.

* Indurabat, id
est, sinebat indure-
scere, sinebat ferri
suo impetu Pharao-
nem, cum Deum
audire nollet, quia
Deus trahit volen-
tem, non repugnan-
tem.

Finis omniū mi-
raculorum, vt sint
vni-

vniuersa terra. Nunc enim extendam manum meam, vt percutiam te & populū tuum peste ut delearis de terra. Et quidem ob hanc causam excitavi te, vt mea potentia in te conspiciatur, & nomen meum celebretur in vniuersa terra. Sed adhuc conculcas populum meum, nec dimittis eos. Ecce ego pluam cras hoc ipso tempore grandinem maximam, qualis non fuit in Aegypto inde vsq ab eo die, quo primum fundata est.

Nunc igitur mitte & congrega pecora tua, & quicquid habes in campo. Homines enim & iumenta, quæ inventa fuerint in agro, nec in domum congregata, si cederit super ea grando, morientur. Itaque rimentes verbum DOMINI ex seruis Pharaonis, sinebant fugere seruos suos & pecora

testimonia de veritate Deo, & discernant eum ab omnibus creaturis & idolis.

Augustinus. Tam bonus est Deus, ut nullo modo permitat malum, nisi inde norit elicere bonum.

Deus est amans vitæ hominum & animalium.

Sicut in aula Neronis fuerunt aliqui pii: Ita in aula Pharaonis fuit semen sanctum.

sua

sua in domos. Qui vero non mouebantur verbo DOMINI, relinquebant seruos suos & pecora sua in agro. Et ait DOMINVS ad Mo-
sen, Extende manum

VII. Grando.

tuam ad cœlum, ut grando decidat in vniuersa Aegypto super homines & super iumenta, atq; super vniuersam herbam agri per terram Aegypti. Et extendit Moses virgam suam ad cœlum, & DOMINVS excitabat tonitrua & grandinem, & ignis discurrebat in terra, & pluebat DOMINVS grandinem super terram Aegypti, & grando atq; ignis inter se permixta tanto imperu ferebantur, ut nihil simile vñquam in tota Aegypto fuerit, ex quo homines eam tenuerunt. Et percussit grando illa per totam Aegyptum, omne quod fuit in agro, ab homine vsq; ad iumentum, & cunctam herbam agri percus- sit grando, atq; omnes arbores agri confregit. Tantum in terra Gosen, vbi erant filij Israël, non fuit grando.

Et mittens Pha-
rao vocavit Mosen
& Aharon, dixitq;

Deus mirabiliter
tegit sue doctrinæ
sedem & Ecclesiam
in maxima pertur-
batione generis hu-
mani.

H ad eos,

adeos, Peccauit etiam hac vice, D O M I N V S iustus est , & ego atq; populus meus impij. Orate D O M I N V M vt definant tonitrua Dei & grando. Tunc dimittam vos , ne hic diutius maneatis. Ad quem ait Moses, Cum egressus fuero ex vrbe , extendam manus meas ad D O M I N V M , & cessabunt tonitrua , & grando non erit , vt Terra non est re- scias , quod D O M I N V S sit terra. Scio et- gum & principum , sed Dei.

iam quod tu & serui tui nondum ti- meatis D O M I N V M Deum. Linum er- go & hordeum percussa sunt. Nam hor- deum maturescerat , & linum habebat folliculos. Triticum vero & spelta non sunt percussa , quia erant serotina. Et egressus Moses à Pharaone ex vrbe ex- pandit manus suas Miracula Eccle- ad D O M I N V M , ces- sia fuit cum inuo- saueruntq; tonitrua catione veri Dei. & grando, nec vltra stillauit pluua su- per terram. Videns autem Pharaon quod cessasset pluua & grando atq; tonitrua , peccatum addidit peccato, & indurauit cor suum ipse & serui eius, & induratum est cor Pharaonis, nec di- misit filios Israël, sicut D O M I N V S per- Mosen locutus fuerat.

C A-

CAPVT X.

Argumentum.

*Q*U E M A D M O D V M prudens medicus non properat ad sectionem & vstitutionem, sed pharmacus omnia prius experitur: Ita Deus cum sit longanimis non subito delet impios, sed concedit eis spacium ad conuersionem. Dolendum est autem tam tetram prauitatem esse humanae naturae, ut hec ipsa mora, pro qua gratias agere debebat, confirmet multiplicem impietatem. Lenius enim curant homines iudicium Dei, propterea quod pene differuntur, et si hec ipsa mora valde breuis est. Insuper igitur scelerata sceleribus adduntur. Huius perniciose securitatis exemplum est Pharao, qui contemnit bonitatem & tolerantiam Dei, & sibi cumulat iram, quam paulo post sensit in mari rubro.

TEXTVS.

ET dixit DOMINVS ad Mosen, In-
gredere ad Pha-
raonem. Nam ego
induraui cor eius &
cor seruorum eius,

Gradatio, Indu-
rabo regem ut mul-
ta signa edantur.

Signa eduntur, ut
vt ede-

vt ederem hæc mea signa inter eos, &c; vt narrares audiente filio & nepote tuo, quantas res gesserim, & quanta signa ediderim in Aegypto, vt sciatis quod ego sim D O M I N V S. Introierunt ergo Moses & Aaron ad Pharaonem & dixerunt ei, Sic dicit D O M I N V S Deus Ebræorum, Quamdiu recusas humiliari coram me? Dimitte populu meum, vt seruiant michi. Sin autem recusas dimittere populum meum, ecce ego cras inducam locustam in terminos tuos, quæ operiet superficiem terræ, vt non possit cerni terra, Et depascetur quicquid à grandine immune vobis relictum est. Deuorabit etiam omnem arborem germinantem in agro. Præterea implebunt domum tuam, & domos cunctorum seruorum tuorum & domos omnium Aegyptiorum, ita quidem, vt nihil simile viderint patres & maio-

recitentur posteritati.

Recitantur posteritati, vt Dominus agnoscatur.

Psal. n^o 13. Deus humilia respicit in cœlo & in terra.

Psal. n^o 8. Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit, & excelsum a longe cognoscit.

VIII. Locusta.

maiores tui inde usq ab eo die quo super terram fuerunt. Et auersus discensit à Pharaone. Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum, Quamdiu erit iste nobis tendicula? Di mitte homines illos, vt seruiant Deo suo, An vis prius experiri Aegypti interitum? Et reuocatus est Moses atq Aha-ron ad Pharaonem, dixitq ad eos, Ite & seruite D O M I N O Deo vestro. Qui ex vobis ituri sunt? Et respondit Moses, Ibimus cum pueris & senioribus nostris, cum filijs & filiabus nostris, cum ouibus & armentis nostris ibimus, quoniam festum D O M I N I nobis est. Et ait ad eos, D O M I N V S scilicet est vobiscum, An dimittam vos & paruulos vestros? Videte an non aliquid mali animo agitetis? Non sic, sed viri eant & seruiant D O M I N O, Hoc enim vos postulastis, Et ejciebantur à facie Pharaonis. Et ait D O-

Semper in aulis sunt aliqui boni vi-
ti abhorrentes a
consiliis immoderata-
tis, quæ prima spe-
cie laxa, tractatu-
dura, exitu tristia
sunt.

Sarcasmus Pha-
raonis.

Vices in aulis,
quarum lenta sunt
beneficia, præcipi-
MINVS

M I N V S ad Mosen , t es iniuriæ , vt ait
Extende manum tu- Seneca .

am super terram Aegypti propter locustam , vt ascendat super terram Aegypti , & comedat omnem herbam terræ , & omne quod grando residuum fecit . Extendit itaq; Moses virgam suam super totam Aegyptum , & D O M I N V S adduxit ventum Orientalem super terram tota illa die & tota nocte , & mane attulit ventus ille Orientalis locustam , Ascenditq; locusta super totam Aegyptum , & quieuit in omni termino Aegypti tanta quidem multitudine , quanta nec antea fuit nec deinceps futura est . Operuit enim & obscuravit superficiem totius terræ , & comedit omnem herbam terræ , atq; omnem fructum arborum , & quicquid grando residuum fecerat , nec vlla viriditas relicta est in arboribus & herbis per totam Aegyptum .

Et vocauit Pharao cum magna festinatione Mosen & Aharon , dixitq; Peccavi contra D O M I N V M Deum vestrum & contra vos . Et nunc remitte quæso peccatum meum saltem hac vice , & rogate D O M I N V M Deum vestrum

strum, vt auferat à me tantum istam mortem. Egressus vero Moses à Pharaone orauit ad D O M I N V M , Et vertit D O M I N V S ventum Occidentalem vehementissimum, qui abreptas locustas cum quodam fragore præcipitauit in mare rubrum, ita vt ne quidem vna residua manserit in omnibus finibus Aegypti. Sed D O M I N V S indurauit cor Pharaonis, ne dimitteret filios Israël.

Dixitq; D O M I N V S ad Mosen, Extende manum tuam ad cœlum, vt sint tenebræ in terra Aegypti, quæ manibus contrectari possint. Et extendit Moses manum suam ad cœlum, & extiterunt tenebræ dēfissimæ in tota Aegypto tribus diebus, vt nemo alterū cerneret, nec quisquam loco in quo erat dimoueretur trib. diebus. * Vbicung; autem habitabant Israëlitæ ibi erat lux.

Et vocauit Pharaon Mosen, & ait, Ite, seruite D O M I -

Aegyptum tantæ tenebræ obscurarunt, vt per triduum nemo hominem homo agnosceret. Carrendo igitur Aegyptii intellexerunt quam cara sint bona. Cū enim quarto die sol illuxisset, tum sibi reuixisse videbantur.

* Semper est aliqua Ecclesia retinens lucem, id est, fundamentum.

no, tantum oves vestræ & boues vestrī
hic maneant, paruuli quoqz vestri cant
vobiscum. Et ait Moses, Hostias quoqz
& holocausta dabis nobis, vt ea offe-
ramus D OM I N O Deo nostro. Quare
& greges nostri nobiscum ibunt, nec
relinquetur vngula. Ex illis enim acci-
piemus, vt ministremus D OM I N O
Deo nostro. Etenim ignoramus quid
offerre debeamus D OM I N O, donec
venerimus illuc.

Indurauit autem D OM I N V S cor
Pharaonis, & noluit dimittere eos. Et
ait Pharaon ad illum, Recede à me &
caue ne deinceps venias in conspectum
meum. Et dixit Moses, sicut locutus es,
non veniam deinceps in conspectū tuū.

C A P V T X I.

Argumentum.

N o n Epicurus tantum, sed maxima
multitudo hominum existimat casu & sine
ullo Dei consilio miseri omnia bona & ma-
la. Has Epicureas opiniones refutat Deus
ipso facto, quia discernit Ecclesiam suam ab
impis, ut Noha seruauit in diluvio, cum re-
liqua

liqua multitudo generis humani, que erat extra arcam, miserabiliter periret. Ita seruauit Deus Israëlitas in Aegypto, in deserto, in terra Chanaan, in Babylone, deniq; omnibus temporibus seruat Ecclesiam deletis impijs sectis.

T E X T V S.

ET dixit D O M I N V S ad Moſen, Ad-huc vnam plagam inducam super Pharaonem & super Aegyptum. Postea non tantum dimittet, sed etiam omni contentione vos hinc ejciet. Dices igitur populo, vt petat vnuſquisq; à proximo suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & vasa aurea, & conciliabit D O M I N V S gratiam populo apud Aegyptios.

Porro Moſes erat maximus vir in Aegypto, coram seruis Pharaonis & coram populo. Et ait Moſes, Sic dixit D O M I-

Autoritas Moysi, quæ tribus rebus constat opinione sapientiæ & virtutis, felicitate, & inclinatione animorum diuinitus facta.

N V S , Media nocte egrediar in Aegyptum, & morietur omne primogenitum in Aegypto, à primogenito Pharaonis, qui sedet super solium eius, vſq;

H 5 ad pri-

ad primogenitum ancillæ quæ est post molam, atq; omne primogenitum iumentorum. Et erit clamor magnus in tota Aegypto, qualis nec antea vñquam fuit, nec deinceps futurus est. Apud omnes autem filios Israël ne quidem canis latrabit inter homines & inter iumenta, vt sciatis quod distinctionem fecerit D O M I N V S inter Aegyptios & inter Israël. Tunc descendant omnes serui tui isti ad me & adorabunt me dicentes, Egressere tu & cunctus populus, qui tibi subiectus est, & postea egredi ar, & discessit à Pharaone ira inflammatu s. Dixit autē D O M I N V S ad Mōsen, Non audiet vos Pharaon, vt multa prodigia à me edantur in Aegypto. Itaq; Moses & Aharon fecerunt omnia hæc prodigia coram Pharaone. Sed indu rauit D O M I N V S cor Pharaonis, vt non dimitteret filios Israël de terra sua.

Plerunque homi nibus nimia pertinacia atque arrogancia accidere solet, vti eo recurrant, & id cupidissime petant, quod paulo ante contem ferant.

Moses natura lenissimus (Nihil enim poterat fieri illo mitius) stomachi tamen cœpit.

CAPVT XII.

Argumentum.

TRES sunt huius capituli loci præcipui.
 PRIMVS allegoria de agno mactato in
 paschate. ALTER est exemplum iræ &
 misericordie Dei. TERTIVS χονολογia
 educationis populi Israël ex Ægypto. Agnus
 paschalis haud dubie significabat Christum,
 mactatio passionem seu mortem, manducatio
 fidem nitentem hac ipsa persona, & consocia-
 tionem, qua efficiemur membra, fratres & co-
 heredes Christi, ac participes Spiritus ipsius,
 & sicut Petrus loquitur, diuina natura. Hæc
 intelligebant Moses, Iosua & similes cum
 vescerentur agno paschatis. Deinde sicut in
 paenitentiis Ægyptiorum conspicitur ira Dei ad-
 versus idola, magiam, libidines & alios hor-
 rendos furores: Ita liberatio populi Israël est
 illustre testimonium misericordiae & præsen-
 tie Dei in Ecclesia. Etsi enim Ægyptiorum
 primogenita imperfecta sunt: tamen Deus pe-
 percit familys Israëlitarum, quorum limina
 confersa erant sanguine agni. Ita omnibus
 temporibus transit Deus per mundum, puni-
 ens horribiliter contemnum ministerij Euau-
 gelici & contumaciam in atrocibus delictis,

& ta-

*& tamen parcens reliquijs Ecclesie conspersis
sanguine filij sui. Postremo obseruetur ἔτος
λογία exitus Israëlitarum ex Ægypto. Di-
cit autem textus Ebreos fuisse hospites in Æ-
gypto annos 430. Inde Paulus numerum sum-
sit inquiens Gal. 3. Post promissionem A-
brahæ datam usq; ad legis promulgationem
annos esse quadringentos & triginta. Sunt
igitur anni in Exodo & Paulo non nume-
randi à descensu Iacob in Ægyptum, sed à
prima migratione Abrahæ ex Haran. Est
igitur populus eductus ex Ægypto anno mun-
di 2453. Post conflagrationem Sodome annis
406. Ante fabricationem templi Salomo-
nis 480. Ante resurrectionem Christi 1542.*

T E X T V S .

DIxit autem D o-
MINVS ad Mo-
ses & ad Aharon in
terra Aegypti. Hic
mensis erit vobis pri-
mus mensis, & ab
hoc sumetis initium
mensium anni.

Loquimini ad vni-
uersum cœtum Isra-

Iudæi inchoant
annum a nouilunio,
quod proxime ante-
cedit aut sequitur
æquinoctium vernū.
Quare celebrant pa-
scha plena luna post
vernū æquinocti-
um. Nos celebra-
mus hoc festum do-
minica p̄xima post
plenilunium.

el di-

el dicentes, Decimo die huius mensis unusquisque paterfamilias sumat agnum pro sua domo. Quod si minor fuerit familia, quam ut par esse possit agno (edendo) assumat vicinum suum in proxima domo, ut numerus personarum sufficiat ad comedendum agnum.

ex congregationis, sic celebratio Paschatis ad eisdem fines directa fuit.

Erit autem agnus integer, masculus, unius anni, quem ex ouibus, aut ex capris tolleret, ac seruabitis usque ad quartum decimum diem mensis huius, mactabitque eum unaquaque multitudo in Israël ad vesperam, & sumet de sanguine, ponentque super duos postes, & in superlimari in ijs ædibus, in quibus illum comedent. Et comedent carnem illam ea nocte, assata igni, atque cum panibus fermentatis, & adhibitis amaris (her-

Commonefactio
de dilectione & er-
ga pauperes miseri-
cordia. Ut enim
cœna Domini est
vinculum dilectio-
nis, & nervus publi-

Narratio in Luca
ostendit Christum
ipso die quarto de-
cimo iuxta Mosai-
cam rationem, &
manducasse agnum
& crucifixum esse.

Paulus 1. Cor. 5.
interpretatur panes
fermentatos cum
iubet celebrare fe-
bis)

bis comedent eam.
Non comedetis crudam, nec elixatam aqua, sed assatā igni, vna cum capite & pedibus & intestinis, nec reliquias eius asseruabitis usque ad matutinum tempus.

Quod autem reli-

atum fuerit ex eo usq; ad matutinum tempus, id comburetis igni. Sic autem comedetis illū, Lumbi vestri præcincti erunt, & calcei in pedibus vestris, & baculus in manu vestra, & comedetis ipsum cum festinatione.

Est enim Pæsah D o
M I N I . Nam transibo
per terram Aegypti
nocte illa, & percutiam
omne primo-

genitum in terra Aegypti ab homine
usq; ad iumentum, & in cunctis dijs
Aegypti faciam iudicia, ego D O M I
N V S . Eterit sanguis ille vobis signum
in ædi-

stum non fermento
veteri, id est, non
opinionibus & af-
fectibus carnalibus,
sed azymis sinceri-
tatis & veritatis.
Sint veræ de Deo
cogitationes, sit in-
vocatio vera, sint
affectus sinceri, id
est, segregati a luti-
lentis fecibus.

Lucæ n . Sint
lumbi vestri præcincti,
& lucernæ ac-
censæ. Sumus enim
viatores mox ituri
in vitam æternam.

Pæsah significat
saltum. Nam per-
cussior transiliit x-
des Israëlitarū san-
guine agni consper-
fas.

in ædibus in quibus fueritis , & videns sanguinem illum præteribo vos , nec erit in vobis plaga percussoris , quando percussero terram Aegypti . Erit

autem dies ille vobis ad recordationem , & celebrabitis eum tanquam festū D O M I N I vos & posteri vestri ritu perpetuo . Septem diebus fermentatos panes comedetis , & primo die auferetis fermentum ex ædibus vestris , Qui autē comederit fermentum à primo die vsque ad septimum , eius ani-

ma extirpabitur de Israël . Die primo fiet congregatio sancta , & die septimo iterum fiet congregatio sancta . Nullas operas in eis facietis , nisi illas quæ ad nutritionem animarum pertinent . Estote custodes fermentati panis . Nam hoc ipso die eduxi exercitus vestros ex Aegypto . Ideo obseruabitis hunc

Sanguis signum redemtionis .

Ritus mactationis agni non solum fuit signum admoniens de præterita liberatione , sed etiam de futura , & de agno seu victimâ , per quam vera & æterna liberatio donanda erat .

Vt in paschate Iudaico fermentum tollendum fuit : sic nos ex Ecclesia fermentum , id est , praua dogmata & praua exempla tollamus .

hunc diem vos & posteri vestri ritu
perpetuo. Decimo quarto die mensis
primi ad vesperam
comedetis infermen
tatos panes, usq; ad Moses inchoat
vigesimum primum diem eiusdem men-
sis ad vesperam. Septem diebus fer-
mentum non inuenietur in domibus
vestris, & omnis qui comederit fer-
mentatum, eius anima extirpabitur de
cœtu Israël, siue sit peregrinus siue in-
digena terræ. Nihil fermentatum com-
edetis, sed in omnibus habitationibus
vestris comedetis fermentatos panes.

Vocauit autem Moses omnes senio-
res Israël, & dixit ad eos, Eligite &
tollite vobis agnos unusquisq; pro fa-
milia sua, & mactate Pæsah. Et accipite
fasciculum hyssopi, & tingite eum san-
guine, qui est in pelui, & tangite super-
liminare & vtruncq; postem sanguine
qui est in pelui, & nullus ex vobis egre-
diatur per ianuam domus suæ usq; ad
tempus matutinum. Transibit enim
D O M I N V S percutiens Aegyptios,
cumq; viderit sanguinem in superlimi-
nari, & vtroq; poste, transiliet D O M I-
N V S ianuam illam, & non sinet percus-
forem

sorem ingredi in domos vestras ad perdendum. Quare tu & posteri tui custodietis hunc ritum perpetuo. Et cum veneritis in terram, quam dabit vobis D O M I N V S sicut promisit, obseruabitis hunc ritum. Et cum dixerint vobis filij vestri, qualis est hic ritus vester? dicetis, Sacrificium phase est D O M I N O , qui transfiliit domos filiorum Israël in Aegypto, cum percuteret Aegyptios, & domos nostras liberaret, & inclinans populus verticem adorauit. Abeuntes ergo filij Israël fecerunt, sicut præceperat D O M I N V S Mosi & Aharon.

Media autem nocte percussit D O M I N V S omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis sedente super solium eius, usq; ad primogenitum captiui, qui erat in carcere & omne primogenitum iumenti. Surrexit itaq; Pharaon nocte & omnes servi eius, & omnes Aegyptij, & ortus est clamor magnus in Aegypto, quia nulla fuit domus in qua non esset cadauer.

Et vocauit Mosen & Aharon noctu, &

Horrenda pœna,
cuius simile exem-
plum non legitur in
omnibus historiis.

I

ait,

ait, Surgite, exite de medio populi
mei vos & filij Israël, Ite, seruite D o-
m i n o sicut dixistis. Oues quoque
vestras & armenta vestra tollite, sic-
ut dixistis, ite & mihi quoque benedici-
te. Et Aegyptij vrgebant populum vt
primo quoque tempore expellerent e-
os è terra, Dixerunt enim, Omnes mo-
riemur. Et populus gestabat massam
nondum fermentatam pro cibo suo,
ligatam in vestibus & humeris suis
impositam. Feceruntque filij Israël
iuxta verbum Mosi, & petiuerunt ab
Aegyptijs vasa argentea & aurea &
vestimenta. Et D o m i n v s concili-
auit grātiam populo apud Aegypti-
os, vt commodato
eis darent, & spolia- Spolia Aegy-
uerunt Aegyptios. pti.

Profecti sunt igitur filij Israël de
Raëm̄ses in Succoth

sexcenta fere millia Raëm̄ses regio
peditum virorum, Aegypti iuxta He-
præter paruulos. liopolin.

Sed & promiscuum vulgus magno nu-
mero cum eis ascendit, oues quoque
& boues, & plurimum pecoris. Co-
xerunt autem ex massa, quam ex Ae-
gypto

gypto exportarant, panes infermentatos, non enim erat fermentata, quoniam cum expellerentur ab Aegyptijs, non tantum spacij habuerunt, ut sc
commeatisbus instruerent.

Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Aegypto, triginta *χρονογία.* fuerunt anni & quadringenti anni, quibus circumactis, uno die totus exercitus DOMINI de terra Aegypti egressus est. Ideo hæc nox obseruabitur DOMINO, qua eduxit eos de terra Aegypti, & hanc obseruabunt DOMINO omnes filii Israël & posteri eorum.

Dixit autem DOMINVS ad Moſen & Aharon, hæc est lex Pæſah. Nullus extraneus comedet ex eo. Omnis autem seruus, qui pecunia emtus est, postquam circumcideris eum comedet ex eo. Aduena & Mercenarius non comedent ex eo. In domo vna comedatur, nec efferes ex domo de carne illa foras, nec os confringetis in eo. Totus cœtus Israël faciet hoc.

Quod si peregrinus apud te com-

I 2 morabi-

morabitur, & facere volet Pæsah D O M I N O , circumcidatur omnis masculus eius, & tunc accedat ut faciat ipsum, & erit sicut indigena terræ. Nullus enim incircumcisus comedet ex eo. Lex via erit indigenæ & peregrino, qui inter vos habitat. Fecerunt autem omnes filij Israël sicut præceperat D O M I N V S Mosi & Aharon. Sic illo die eduxit D O M I N V S filios Israël ex Aegypto cum exercitibus suis.

Vt olim de pa-
schate non licebat
edere nisi circumci-
sis: Sic nondū bap-
tizati arcendi sunt
ab vsu coenæ.

Epiphonema.

C A P V T X I I I .

Argumentum.

T E R in Mose repetita est lex de pri-
mogenitis masculis, Exodi 13. & 34. & Nu-
meri 8. & addita est ratio, quia percussi pri-
mogenita Ægypti, posco vestra primogeni-
ta. Hec lex significat hunc populum electum
esse à Deo, ut in eo sit Ecclesia. Sicut enim
subditus certo munere testatur, se suo domino
addictum esse: Ita vult Deus se agnoscere
Domini-

Dominum huius populi. Hanc esse legis sententiam Deus ipse testatur, quia inquit, debentur mihi omnia primogenita, delegi mihi pro illis tribum Leui. Deinde historia huius capitinis narrat populum in deserto nube eternum fuisse, quæ interdiu umbram præbuerit noctu vero lucem. Ut autem columna nubis & ignis tunc fuit miranda consolatio & testimonium præsentiae Dei: Ita semper p[ro]isci- ant sic se regi, nocte, id est, in tenebris, periculis & morte ministrari lucem, consilium, consolationem & vitam. Rursus in æstu umbram, id est, in pœnis sustentationem, ne imbecillis natura terroribus diuinis consumatur.

T E X T V S.

Locutus est autem DOMINVS ad Mosen dicens, Sanctifica mihi omnem primogenitum, quod quamcunque matricem aperit apud filios Israël tam in homine quam in iumento, quia meum est. Et ait Moses ad populum, Memento diei huius, quo egressi estis ex Aegypto, ex domo seruitutis, quia manus valida eduxit vos DOMINVS hinc. Ideo non comedes fermentū significationem fermentum. Hodie cat corruptelā do-

I 3 egressi

egressi estis mense
* Abib. Cum ergo
introduxerit te D o-
M I N V S in terram
Chananæi, Hitthæi,

Amorræi, Hiuæi & Iebusæi quam iura-
uit patribus tuis se tibi daturum esse,
terram fluentem lacte & melle, cele-
brabis ritum hunc mense isto. Septem
diebus comedes panes fermentatos,
& dies septimus erit solennis festiuitas
D O M I N I . Ideo comedes septem dieb.
panes fermentatos , vt nec fermentū
nec panis fermentatus conspiciatur in
omnibus finibus tuis . Narrabis autem
filio tuo illo die dicens, (Hoc obserua-
mus) propter ea quæ fecit nobis D o-
M I N V S , cum exiremus ex Aegypto .
Ideo erit tibi signum in manu tua , &
commonefactio coram oculis tuis , vt
lex D O M I N I sit in ore tuo , quod va-
lida manu eduxerit te D O M I N V S ex
Aegypto . Quare hunc ritum obserua-
bis quotannis statuto tempore . Cum
igitur introduxerit Lex de primoge-
nitris.
terram Chananæi eamq; tibi dederit ,
sicut iurauit tibi & patrib. tuis, separa-
bis

etrix, vt Matth.
16. Cavete a fer-
mento Pharisæorū.

*Abib Aprilis sic
dictus a viriditate.

bis D O M I N O omne quod aperit matricem , & primogenitum fœtum pecudis, qui est masculus. Primogenitū asini agno redimes, & si non redemeris franges ceruicē eius , Omne vero primogenitū hominis inter filios tuos redimes.

Quod si interro- Ratio legis.
gauerit te filius tuus

cras dicens, quid est hoc ? Respondebis ei, Valida manu eduxit nos D O M I N V S ex Aegypto ex domo seruitutis . Cum enim Pharaō difficilem se præberet ad nos dimittendos, interfecit D O M I N V S omne primogenitum in Aegypto à primogenito hominis usq; ad primogenitum iumenti. Ideo sacrifico D O M I N O omne quod matricem aperit masculini sexus , & omne primogenitum filiorum meorum redimo. Erit itaq; signum in manu tua , & commonefactio coram oculis tuis , quod valida manu eduxerit nos D O M I N V S ex Aegypto.

Cum igitur emisisset Pharaō populum , non duxit eos Deus per viam terræ Philistim , quæ proxima erat , Dixit enim Deus , Fortasse

Hic ostenditur omnia fieri debere, quæ consilio recte fieri possunt, ad cuiata quæ aduersa sunt , etiam cum

I 4 pœni-

pœnitibit populum,
cum viderint bellū,
& reuertentur in Ae-
gyptum. Ideo cir-
cumduxit Deus po-
pulum per viam de-
serti, quæ est iuxta
mare rubrum. Ar-
mati vero ascende-
runt filij Israël ex
Aegypto. Tulit quo-
que Moses ossa Io-
seph secum, qui iu-
ramento obligau-
rat filios Israël di-
cens, Deus visitabit
vos. Tunc exporta-
bitis hinc vobiscum ossa mea. Profecti
itaç de Succoth, manserunt in Etham
in aditu deserti.

D O M I N V S autem
præcedebat eos in-
terdiu quidem in columnā nubis, vt
monstraret eis viam, noctu vero in co-
lumna ignis, vt præluceret eis ad faci-
endum iter die ac
nocte. Non recede-
bat columnā nubis

Deus apertissime ad
iutor est. Augusti-
nus in quæst. super
Exodum.

Moses nihil mi-
nus cogitat quam se
quadraginta annis
cum tanta multitu-
dine, in tantis æ-
rumnis in deserto
vagaturum esse, sed
sperat fortassis vni-
us mensis iter fore.
Liberat autem &
seruat Deus Eccle-
siam suam mirandis
modis, quos non po-
test humana ratio
prospicere.

Columna nubis
& ignis.

Matth. 18. Ego
vobiscum sum om-
nibus diebus usque
inter-

interdiu, nec colum-
na ignis noctu à po-
pulo.

ad consummationē
seculi.

C A P V T X IIII.

Argumentum.

Hoc caput tres habet locos maxime in-signes. PRIMVS est imago Ecclesia omni-um temporum. Semper Ecclesia similis est populo transeunti per mare rubrum. Ut enim populus Israël montibus & mari inclusus non humanis consilijs aut praefidijs, sed mirando opere Dei seruatur ac defenditur: Ita Ecclesia omnium temporum versatur in periculis, que humano consilio extricari non possunt, & tamen experitur diuinam liberationem ac defensionem. ALTER locus est doctrina de fide acquiescente in Deo, etiamsi cause se-cunda nos destituant. State, inquit Moses, & tacete, id est, non desperate fracti magni-tudine periculorum, non querite inconcessa praesidia, non desigite oculos in causas secun-dus, que vobis exitium minantur, sed acquie-scite in solo Deo, qui est liberrimum agens, & potest opitulari contra ordinem causarum secundarum. TERTIVS est exemplum iræ Dei aduersus peccata Ægyptiorū. Regnum I S illud

illud omnium toto orbe terrarum florentissimum subito tumultu dissipatur & cueritur, consumta maxima parte hominum continuatis cladibus multiplicibus, delecto rege & principibus in mari rubro, deniq^z mirata tota regni forma. Hæ tragicæ calamitates fuerunt pœnae idolatriæ, magiæ, libidinum, & crudelitatis aduersus sanctos.

T E X T V S.

ET locutus est D O M I N U S ad Mo-
sen dicens, Loquere ad filios Isra-
el, vt redeant & castrametentur in adi-
tu vallis Hiroth in-
ter Migdol & ma-
re, è regione Baal
Zephon, atq^z ibi ca-
strametentur è re-
gione maris. Nam
Pharao dicet de filijs
Israël, Cæco impetu
vagantur in terra, conclusit eos de-
sertum. Et ego indurabo cor Pharaon-
is, vt persequatur
vos, & specimen glo-
riæ meæ ostendam
in Pharaone & in

Circumstantio lo-
ci auget miraculū.
Nam populus ex pla-
no deserto Etham
iussu Dei retrahitur
in montana & aspe-
ra loca, & iubetur
castra ponere inter
Magdalim & mare.

Iratus ad pœnam
Deus si quos trahit,
Auferre mentem
talibus primū soler-
to to

toto exercitu eius,
vt sciant Aegyptij
quod ego sum D o-
MINVS, & fecerunt
sic.

Et nunciatum est
regi Aegyptio, quod
fugisset populus, & mutatum est cor
Pharaonis & seruorum eius erga po-
pulum, & dixerunt, Cur hoc fecimus,
vt dimitteremus Israëlem, ne seruiret
nobis? Et parans currum suum, om-
nem populum suum secum eduxit, & ac-
cepit sexcentos cur-
rus electos, omnes
currus Aegypti, &
duces omnium exer-
cituum suorum. Nam
D O M I N V S indura-
uit cor Pharaonis,
vt persequeretur fili-
os Israël. * Sed filii
Israël alta manu (du-
ce) egressi fuerant-

Caliginemque of-
fundit, vt ruant
suis

Furenter in clae-
des, sibi quas no-
xiis

Accersierunt ul-
tro consiliis mali.

* Psal 93. Fortis
sonitus aquarū mul-
tarum & fluctuum
maris. At fortior
in excelsō D O M I-
N V S. 1. Ioannis 4.
Maior est qui in no-
bis est, quam qui
in mundo. Cy-
prianus in exhorta-
tione ad Martyri-
um: Maior est D O-
MINVS ad pro-
tegendum, quam Diabolus ad impugnan-
dum. Quare in persecutionibus nemo cogi-
tet quod periculum Diabolus importet, sed
consideret quod auxilium Deus praestet, nec
mentem labefaciat humana infestatio, sed cor-
roboret

roboret fidem diuina protectio. Tantum enim vhusquisque de Dei ope accipit, quantum se credit accipere, nec est quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit.

Et persecuti sunt Aegyptij illos, & deprehenderunt eos in castris iuxta mare, totus equitatus curruum Pharaonis, atq; equites eius & exercitus eius in valle Haroth è regione Baal Zephon. Cumque proprius accessisset Pharao, leuarunt filij Israël oculos suos, & ecce Aegyptij proficiscebantur post eos, timueruntq; valde, & clamarerunt filij Israël ad DOMINVM, & dixerunt ad Mosen:

An quia non erant sepulchra in Aegypto, ideo eduxisti nos vt moreremur in deserto? Quare hoc fecisti nobis, vt educeres nos ex Aegypto? Nonne hoc est quod diximus tibi in Aegypto, Desiste de tuo proposito, & sine nos seruire

Moses in his angustiis haud dubie sensit in corde hæc venenata tela Diaboli: Hic totus populus hodie peribit. Non enim potest effugere manus Pharaonis. Huius maximi mali tu solus es autor, quia eduxisti eum ex Aegypto. Ad hanc internam tentationem fortis accessit clamor Aegy-

Aegyptijs ? Satius enim nobis fuisset servire Aegyptijs , quā mori in deserto.

tuo iussu eduxi populum. Fer igitur opem. Hunc gemitum vocat scriptura clamorem .

Et dixit Moses ad populum , Nolite timere , State & vide te salutem , quam hodie vobis D o m i n u s afferet. Nam Aegyptios quos hodie videtis , deinceps nullo vñquam tempore videbitis. D o m i n u s pugnabit pro vobis , & vos eritis tranquilli.

allaturus est. Iubet stare , id est , non præscribere modum Deo , non discurrere ad humana præsidia querenda , sed hoc progressos ut Deo obdiren̄t in hac obedientia placide expectare defensionem a Deo , sicut hæ sententiae docent : In silentio & spe erit fortitudo vestra . Item , Vacate & videte quod ego sim Deus .

Et dixit D o m i n u s ad Mosen , Quid clamas ad me ? Loquere ad filios Israël

populi. Ibi Spiritus sanctus pro ipso interpellauit gemitu inenarrabili , vt suspiraret ad Deum & diceret , Domine

Cum Pharaō regium exercitum du cens accessisset ad Israēlitas , & op pressurus eos vide retur , quia Israēlitarum multitudo era t inclusa partim mari partim montibus , ne effugere posset , & periculū nullis humanis consiliis discuti posset , clamat Moses , Nolite timere , state & vide te salutem quā Deus hodie vobis

Israël ut proficiscantur. Tu autem ele-
 ua virgam tuam , &
 extende manum tu-
 am super mare, & di-
 uide illud , ingredi-
 anturque filij Israël
 per medium eius sic-
 co pede. Ecce ego
 indurabo cor Aegy-
 ptiorum , ut sequan-
 tur illos , & osten-
 dam specimen glo-
 riæ meæ in Pharao-
 ne & in toto exercitu eius , in curribus
 eius , & in equitibus eius. Et scient Ae-
 gyptij quod ego sim D O M I N U S , cum
 specimen gloriæ meæ ostendero in Pha-
 raone , in curribus & equitibus eius.
 Migrans igitur angelus Dei , qui erat
 dux castrorum Israël , cœpit ire post il-
 los , Columna quoq; nubis , quæ erat in
 conspectu illorum , contulit se ad ter-
 gum , & medium locum obtinuit inter
 castra Aegyptiorum & inter castra Is-
 rael. Erat autem nubes plena caliginis
 simul illuminans no-
 tem , nec tota nocte
 alter ad alterum ve-

Virga Moysi est
 imago ministerii in
 Ecclesia . Ut enim
 Deus per virgam
 Moysi mare diuisit
 & alias res magnas
 gessit : Sic omnibus
 temporibus per mi-
 nisterium Euangeliū
 efficax est , ut Rom.
 i. dicitur , Euange-
 lium est potentia
 Dei ad salutem om-
 ni credenti.

Ex obscura nube
 emicabant fulge-
 tra , quæ pauorem
 nire

nire poterat. Et exten-
dit Moses ma-
num super mare, &
fecit D O M I N V S
abire mare per ven-
tum Orientalem ve-

Aegyptiis incutie-
bant, & Israëlitis
lumen præbebant.
Idem enim sëpe
est causa contrario-
rum.

hementissimum, tota illa nocte, & sic-
cauit mare, ac diuisæ sunt aquæ. Et
ingressi sunt filij Israël in medium ma-
ris sicco pede, & aqua erat ipsis instar
muri à dextra & sinistra. Et Aegy-
ptij secuti sunt eos, & ingressi sunt
in medium maris vna cum equitatu
Pharaonis & curribus atque equiti-
bus eius. Cum autem vigilia matu-
tina adesset, respexit D O M I N V S
ad castra Aegyptiorum de columna
ignis & nubis, & subitum tumultum
excitauit in castris Aegyptiorum, &
detraxit rotas de curribus eorum, ac
violentio motu impulit eos. Dixerunt
ergo Aegyptij, Fugiamus Israëlem,
quia D O M I N V S pugnat pro eis
contra Aegyptios. Et ait D O M I-
N V S ad Mosen, Extende manum tu-
am super mare, vt reuertantur aquæ
super Aegyptios, super currus at-
que equites eorum. Et extendit Moses
manum

manum suam super mare & reuersum est mare ante matutinum tempus in alueum suū, & Aegyptij fugientes ibant ei obuiam, & D O M I N V S præcipitauit Aegyptios in medium maris. Et redeuntes aquæ operuerunt currus & equites & totum exercitum Pharaonis, qui ingressi sunt post illos in mare, ac ne vnuis quidem ex eis superstes fuit.

Filij autem Israël ambulauerunt siccō pede per medium maris, & aquæ erant illis instar muri à dextra & à sinistra. Liberauit itaq; D O M I N V S in illa die Israël de manu Aegyptiorum, & vidiit Israël cadauera Aegyptiorum in littore maris, & manum potentē, quam exercuerat D O M I N V S contra Aegyptios, & timuit populus D O M I N V M, ac crediderunt D O M I N O & Mosi seruo eius.

Manus Domini
potens est ad humiliandum & ad exaltandum.

C A P V T X V .

Argumentum.

P R I O R huius capitatis locus est carmen Eucharisticum Ecclesie pro miranda liberazione.

tione. ALTER est allegoria de ligno quod amarum saporem aquae in dulcem conuertit. In carmine Eucharistico obseruetur testimonium de tribus personis diuinitatis. Dominus est fortis bellator, Iehoua est nomen eius, Dextera tua Iehoua percussit inimicum, & per spiritum faciei tue congregatae sunt aquae. Horum verborum optimus interpres est Esai. cap. 63. inquiens, Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastore gregis sui, Ubi est qui posuit in eo Spiritum sanctum suum, qui eduxit dextra Mosen brachio maiestatis sue, qui scidit aquas ante eos. Et deinde addit, Spiritus Domini ductor eius fuit. Hec dicta perspicue discernunt eternum Patrem, & Filium, qui appellatur brachium maiestatis divine, quia per ipsum omnia facta sunt, & Spiritum sanctum.

Porro amare aquae, quas populus non potest bibere, significant afflictiones, quas omnes homines naturaliter fugiunt ac reformidant. Sed erumnae aliquo modo dulcescunt ipsi, qui Christum pendentem in ligno crucis aspiciunt, nec exemplum duntaxat huius Domini ad imitandum sibi proponunt, sed etiam beneficia passionis ipsius fide amplectuntur, & horum cogitatione se sustentant.

Tunc cecinit Moses & filij Israël
hoc carmen D O M I N O , & dixe-
runt :

Cantabo D O M I-
N O , quoniam fecit
rem gloriosam, equū
& fessorem eius præ-
cipitauit in mare.

Fortitudo mea &
laus mea D O M I-
N V S , & factus est
mihi in salutem.

Hic est Deus me-
us, quem celebrabo,
Deus patris mei &
exaltabo eum.

D O M I N V S est heroicus bellator,
D O M I N V S est nomen eius , currus
Pharaonis & exercitum eius proiecit
in mare.

Electi duces eius mersi sunt in mari
rubro, Abyssi operuerunt eos, descen-
derunt in profundum sicut lapides.

Dextera tua D O-
M I N E gerit res ma-
ximas, Dextera tua

Dextera Domini
est filius Dei, Bfa.
53.

D O M I N E deleuit inimicum.

Et magnitudine gloriae tuæ euertisti
aduer-

Hæc glorioſa li-
beratio est teſtimoni-
num præſentia Dei
in Ecclesia. Sinit e-
nīm Deus accidere
inextricabilia huma-
no consilio , vt con-
ſpiciatur præſentia
eius in Ecclesia cum
mirandis modis li-
berat , & exerceantur
fides, iuuocatio
& alia virtutes.

Discrimen veri
Dei & idolorum.

aduersarios tuos. Cum enim iræ tuæ habenas effunderes, absūmisti eos tanquam stipulas.

Per spiritum faciei tuæ congregatæ sunt aquæ, & vndarum fluctus steterunt instar cumuli, coagulatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit hostis, persequar, deprehendam, diuidam spolia, & explebo in eis vindictæ cupiditatem.

Stringam gladium meum vagina vacuum, & perdet eos manus mea.

Flauisti anhelitu tuo & operuit eos mare, demersi sunt tanquam plumbum in aquis potentibus.

D O M I N E quis est similis tibi in dijs? Quis est sicut tu magnificus, sanctus, terribilis, laude dignus, & faciens miracula?

Cum extenderes dexteram tuam, devorauit eos terra.

Duxisti per misericordiam tuā hunc populum, quem redemisti, deduxisti eos per fortitudinem tuam ad habitationem

Aliud est consili-
um, aliud euentus.

Si tanta vis est an-
helitus diuini, quan-
tum putas esse ro-
bur lacertorum &
extentæ manus.

Symbolum Iudeæ
Macabæi.

tionem tuam sanctam.

Cum hoc audirent populi, consternati sunt, & pauor oppressit incolas Palestinae.

Tunc conterriti sunt duces Edom, & potentes Moab tremuerunt, Animo fracti sunt incolae Chanaan.

Irruat in eos tre-
mor & pauor per
brachium tuum magnum, obstupecant
tanquam conuersi in lapides, donec
perrumpat populus tuus D OMINE,
donec perrumpat populus tuus, quem
possedisti.

Introduc eos & planta eos in monte
hæreditatis tuæ, quem tu D OMINE,
vt esset domicilium tuum præparasti,
& quem manus tuæ stabiliuerunt tan-
quam locum sanctuarij tui.

D OMINVS in omni æternitate re-
gnabit. Ingressus est enim equitatus
Pharaonis cum curribus atq; equitibus
suis in mare, & D OMINVS reduxit
super eos aquas maris.

Iosuæ 2. Audiimus quod sicauerit
Dominus aquas maris rubri, & hæc au-
dientes consternati
fuimus, & langue-
factum est cor no-
strum, nec mansit in
nobis spiritus, &c.

Precatio pro Ec-
clesia.

At si-

At filij Israël sicco
pede ambularūt per
medium maris.

Et sumxit Maria
appherissa soror A-
haronis tympanum
in manum suam , &
omnes mulieres se-
quebantur eam cum
tympanis & choris ,
& Maria præcinebat
eis, Cantate D o m i-
n o , quoniam fecit
rem gloriosam, equū
& sessorem eius præ-
cipitauit in mare.

Moses vero pro-
fectionem Israëlis sic regebat , vt reli-
cto mari rubro progrederentur in de-
sertum Sur , cumq; tridui iter in deser-
to confecissent, non
inuenerunt aquas .
Et cum venissent in
Mara, nō potuerunt
bibere aquas in Ma-
ra , quia erant ama-
ræ, eamq; ob causam
impositum est illi lo-

Deletis impiis
seruatur Ecclesia .

Prudentius in
Psychomachia :
Pulsauit resono
modulantia tympa-
na plectro

Turba Dei, cele-
brans mirum ac me-
morabile seclis

Omnipotentis o-
pus , liquidas inter
freta ripas

Fluctibus incisis ,
& subsidente pra-
cella

Crescere, suspen-
sosque globos po-
tuisse teneri.

In deserto pro-
pter perpetuos qstus
nec flumina, nec fon-
tes multi sunt.

Amara non sunt
nutrimenta sed me-
dicamenta , Nam
omne nutrimentum

K 3 co no-

co nomen Mara. Et oportet esse dulce,
murmurans populus aut dulci succo per-
contra Mosen dixit,

Quid bibemus? Et clamauit ad D O
M I N V M , & ostendit illi D O M I N V S li-
gnum, quo in aquam coniecto, illa dul-
cescere cœpit.

Ibi sanxit eis legem & iudicium &
tentans eos dixit, Si diligenter audie-
ris vocem D O M I N I Dei tui, & feceris
quod rectum est in oculis eius, & obe-
dieris præceptis eius, & custodieris sta-
tuta eius, nullum morbum quem Ae-
gyptijs imposui, tibi imponam, quia
ego D O M I N V S Filius Dei est me-
sum medicus tuus. *dicus vino lavans*
faucii viatoris vulnera, & in ea balsamum infun-
dens, & gestans ægrum suis manibus.

C A P V T X VI.

Argumentum.

*C v M tricesimo die post exitum ex Æ-
gypto populus Israël duce Moyse peruenisset
in desertum Sin, & fame laboraret, Deus
eodem die vesperi misit intra castra magnam
vīm coturnicum, & postridie Manna de cœlo
ſparſit,*

sparsit, quo innumerabilem multitudinem Israëlitarum annos totos quadraginta in deserto aluit. Hæc hæstoria primum docet, non casu spargi res necessarias vitæ corporis, sed has ipsas res etiam Deo gubernante offerri, præsertim Ecclesiæ. Diserte enim textus inquit, Ego Dominus pluam vobis panem de cœlo. Deinde proponit hæc hæstoria illustrem imaginem Ecclesiæ omnium temporum. Ut enim populus Israël in deserto sine cultura agrorum & sine commensibus vicinorum à Deo alimenta petiuit & expectauit: Ita Ecclesia alijs temporibus non regitur, defenditur & seruatur humanis consilijs, sed mirandis modis, de quibus non potest humana ratio cogitare. Tertio admonet hæc hæstoria pium lectorum de vero pane, de quo Christus Ioannis sexto concionatur, Ego sum panis vita, patres vestri manducauerunt Manna & mortui sunt. Si quis autem manducauerit ex hoc pane, viuet in eternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.

T E X T V S.

Venerunt autem in Elim, vbi erant duodecim fon-

Imago Ecclesiæ omnium temporū, quæ semper in deserto vagatur non

tes aquarum, & se-
ptuaginta palmæ, &
castrametati sunt iu-

habens certum de-
fensorem nisi filium
Dei.

xta aquas. Inde profecta tota multitu-
do filiorum Israël venit in desertum
Sin, quod est inter Elim & Sinai, quin-
todecimo die mensis
secundi, postquam
egressi sunt ex Ae-
gypto.

Hoc est, tricesi-
mo die post exitum
ex Aegypto.

Et murmurauit
tota congregatio fi-
liorum Israël contra

Murmuratio est
inobedientia irascens
Deo in xrumnis aut
pœnis.

Moysen & Aharon
in deserto, Dixeruntq; ad eos filij Isra-
el, Vtinam mortui essemus per manum
DOMINI in Aegypto, quando sede-
bamus iuxta ollam carnis, & comedie-
bamus panem in saturitate. Ideo enim
eduxistis nos in de-
sertum istud, vt in-
terficeretis omnem
congregationem istam fame.

Seditiosi clamo-
res populi.

Et ait DOMINVS ad Mosen, Ecce
ego pluam vobis pa-
nem de cœlo, & e-
gredietur populus et
colliget quotidie ne-

Prudentius in
Psychomachia:
Ne trepidate ho-
mines, vitæ dator,
& dator esse est.
cessaria

cessaria ad victum diurnum, vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parati erunt ad inferendum duplum eius, quod colligunt singulis diebus. Dixeruntq; Moses & Aharon ad omnes filios Israël, Vespere scietis quod eduxerit vos DOMINVS ex Aegypto, & mane videbitis gloriam DOMINI, quia audiuit murmur vestrum contra DOMINVM, & nos quid sumus, quod murmuraftis contra nos? Et ait Moses, Dabit vobis DOMINVS vespere esum carnium, & mane panes in saturitate, quia audiuit DOMINVS murmurationes vestras, quibus murmuraftis contra eum. Quid enim nos sumus? Non enim contra nos murmuraftis, sed contra DOMINVM. Dixit quoque Moses ad Aharon, Dic vniuersæ congregationi filiorum Israël, Venite in conspectum DOMINI, Audiuit enim murmur vestrum, Cumq; loqueretur Aharon ad vniuersum cœtum filiorum Israël, respexerunt ad desertum, & ecce gloria DOMINI apparuit in

Luca 10. Qui vos spernit, me spernit. Omnis enim violatio legati pertinet admittentem.

K 5 nube.

nube. Locutus est autem D OM INVS ad Mosen dicens, Audiui murmurationes filiorum Israël, Loquere igitur ad eos dicens, Vespere comedetis carnes, & mane saturabitimini panibus, & scietis, quod ego sim D OM INVS Deus vester.

Et vespere ascendit coturnix, operuitq; castra, & mane iacuit ros in circuitu castrorum, quo remoto, ecce in deserto erat tenuē quiddam & rotundum instar pruinæ super terram. Quod cum vidissent filij Israël, dixerunt alij ad alios, Quid hoc? Nesciebant enim quid esset. Et ait Moses ad eos, Hic est panis, quem dedit vobis D OM INVS ad vescendum. Hoc autem est quod præcepit vobis D OM INVS, Colligat unusquisq; ex eo quantum sibi sufficit ad vescendū, & tollat Gomor per singula capita iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo suo.

Et fecerunt sic filij Israël & collegerunt aliis plus, aliis minus, cumq; adhiberetur mensura Gomer, nec qui plus collegerat, habebat amplius, nec qui minus collegerat habebat minus, sed sin-

Gomor duo zonæ, id est, quatuor sextarii.

sed singuli tantum quantum comedere poterant collegerant. Et dixit Moses ad eos, Nemo relinquat aliquid ex eo usq; in crastinum. Sed non obedierunt Mosi, & quidam afferuarunt reliquias usque in crastinum, Pœna avaritie.
 quæ vermis sca-
 tere & putrescere cœperunt, & valde succensuit eis Moses. Colligebant au-
 tem mane singuli quantum sufficere poterat ad vescendum, cumq; incaluis-
 set sol, liquefiebat.

Et sexto die colligebant duplum pa-
 nem, videlicet duo gomor pro vno, &
 omnes principes congregationis ve-
 nientes nunciabant id Mosi, qui ait ad
 eos, Hoc est, quod dixit D O M I N V S,
 Cras est Sabbathum sanctæ quietis D O-
 M I N I. Quicquid pinsere vultis pinsi-
 te, & quicquid coquere vultis coquite,
 & si quid reliquum fuerit, id afferuate
 usq; in crastinum. Et afferuarunt id
 usq; in crastinum, sicut præceperat Mo-
 ses, & non computruit, nec vermis in
 eo fuit. Dixitq; Moses, Comedite hoc
 hodie, quoniam D O M I N I Sabbathum
 est, Hodie non inuenietis ipsum in
 campo. Sex diebus colligetis, Septi-
mus

mus autem dies est Sabbatum, in quo nihil erit. Porro cum die septimo quidam ex populo egredierentur ad colligendum, nihil inuenierunt. Et dixit DOMINVS ad Mosen, Quamdiu recusatis custodire præcepta mea & leges meas, Videte, DOMINVS dedit vobis Sabbatum. Ideo dat vobis sexto die bidui demensum. Maneat igitur unusquisq; in suo (loco) nec egrediatur e loco suo die septimo. Celebrauit itaq; populus Sabbatum septimo die. Appellauit vero domus Israël nomen illius Man, & erat quasi semen coriandri Mannæ descriptio. album, & sapor eius quasi crustæ melitæ.

Dixit autem Moses, Hoc est quod præcepit DOMINVS, Imple Gomer ex eo, quod asseruetur ad posteritatem vestram, ut videant panem quo vos paxui in deserto postquam eduxi vos ex Aegypto. Et ait Moses ad Aharon: Accipe fistilem vrnulam, & repone in ea Man quantum capit Gomer, & asserua illud coram DOMINO, ut custodiatur ad posteritatem vestram, sicut DOMINVS Moysi præceperat, Et resposuit

posuit illud Aharon
coram testimonio vt
asseruaretur.

Filij autem Israël
coederunt Man qua-

Testimonium si-
gnificat ministeriū
a Deo institutum,
quod sāpe appella-
tur cathedra Moy-
si.

draginta annis, donec venerunt in ter-
ram habitationi ipsorum destinatam,
& comedenterunt Man, donec venerunt
ad fines terræ Chanaan. Gomor autem
est decima pars * Ephæ.

* Ephæ est Medimnus Atticus, qui propemo-
dum congruit cum Lipsico medimno, quem no-
minant Lipsix, ein Scheffel. Id ex veteri precio
intelligi potest. Erat enim lege precium medim-
ni tritici vītatum Athenis drachmæ quinque,
videlicet diimidum coronati, vt Demosthenes
narrat in oratione contra Phormionē de mutuo.

C A P V T X V I I .

Argumentum.

CVM Israēlītæ venissent in Raphidim,
multi homines omnium etatum siti morie-
bantur. Hac tanta calamitate Deus ali-
quandiu multitudinem puniuit, sed tamen ut
Ecclesiam seruaret, iubet Mosen ferire pe-
tram, ac promittit se inde effusurum esse a-
quarum flumina, præbitura potum uniuersæ
multi-

multitudini. Hæc narratio de Mōsē ferente petram primum amplissimam & utilissimam doctrinam continet de præstanda obedi-entia in pœnis, de spe auxiliij diuini, de inno-
catione. Deinde proponit imaginem Christi
percussi à lege. Cum enim Mōses petram
percussit singulari & ineffabili consernatione
animi, significatum est, lege percuti Mes-siam, id est, in populo legis, & propter legem,
percuti filium Dei, mirando temperamento
iusticie & misericordie. Etsi enim recepit
Deus genus humanum per misericordiam:
tamen tantum malum est peccatum, ut iusti-
cia Dei postularit pœnam, & compensatio-
nem æquivalentem seu λόγον, ut in Euange-
lio nominatur. A L T E R A historia huius
capitis hortatur nos ad precationem, & mo-
net que sint arma Ecclesiæ. Nam precibus
depelluntur Diaboli, reprimuntur tyranni,
imo ex ipsis regnis excutiuntur, profligantur
exercitus, sicut precibus Mōysi vincebatur
exercitus Amalechiticus. Quia Deus vult
Ecclesiam exercere fidem in inuocatione, &
exaudire has preces, ne funditus pereat Eccle-
sia, & ut testetur sibi curæ esse Ecclesiam, &
exaudire preces.

T E X T V S.

Et pro-

ET profecta est vniuersa congregatio filiorum Israël ex deserto Sin conficiens iter suum iuxta præceptū D o M I N I , & castramentati sunt in Raphidim. Ibi non erat aqua, quam populus bibere posset. Et rixatus est populus cum Mose, dixeruntq; Date nobis aquam ad bibendum, quibus respondit Moses, Cur mecum rixamini? Cur tētatis D O M I N V M ? Cum autem populus ibi sitiens expeteret aquam, murmurarunt contra Mosen dicentes, Quare eduxisti nos ex Aegypto, vt fineres siti contabescere nos, liberos nostros & pecora nostra. Et clamauit Moses ad D O M I N V M dicens, Quid faciam huic populo? Parum abest quin me saxis obruant. Et ait D O M I N V S ad Mosen, Antecede populum, & adiunge tibi seniores Israël, & sume virgam tuam in manus

Nihil In Ecclesia faciendum est sine verbo. Psal. 119. Lucerna pedib. meis verbum tuum.

Tentare Deum est negare aut corrige re ordinationem diuinam fiducia propria sapientiae.

Seditiosæ & impiaæ populi vociferationes.

Moles periculorum in gubernatione.

num tuam, qua percussisti fluum, & vade. Ecce ego ibi coram te in petra Horeb stabo, & tu percuties petram, egressienturque aquæ ex ea, ut bibat populus. Fecit Moses ita coram seniorib. Israël, vocauitq; nomen loci illius Massa & Meriba, propter rixam filiorum Israël, & quia tentauerant D OM IN V M dientes, Estne D OM I N V S in medio nostri, an non?

Venit autem Amalec & pugnabat cum Israël in Raphidim, Et ait Moses ad Iosua, Elige nobis viros, & egrediens pugna contra Amalec. Cras ego stabo in vertice collis, eritq; virga Dei in manu mea. Fecit itaq; Iosua, sicut dixerat illi Moses, & pugnauit contra Amalec. Moses autem, Aharon & Hur ascenderunt in

Paulus i. Cor. 10.
affirmat ipsum filium Dei et ductorem & custodem Israëlitis affuisse: Petrus inquit erat Christus. Ita semper Ecclesia suæ adest iuxta dictum, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Massa tentatio.
Meriba rixa seu contentio.

Impietas populi
non agnoscentis presentiam Dei editis tot miraculis.

Primum tyrocinium Iosuæ.

verticem collis. Ac quoties leuabat Mo-
ses manum suā, vin-
cebat Israël. Quo-
ties autem remitte-
bat manū suam, vin-
cebat Amalec. Et quia manus Mōsī e-
rant graves, ideo tulerunt lapidem,
quem supposuerunt illi, & sedis super
eum. Aharon vero & Hur sustentauer-
runt manus eius vtrinq; vñus. Itaque
manserunt manus eius firmæ vscq; ad
Solis occasum. Et debilitauit Iosua A-
malec & populum eius acie gladij.

Dixit autem D O M I N V S ad Mosen,
Scribe hoc in libro ad recordationem,
& commenda auribus Iosua. Nam

funditus delebo me-
moriā Amalec sub
cœlo. Et ædificauit
Moses altare, & vo-
cauit nomen eius,

D O M I N V S N i s s i ,

Dixit enim, Quia est
monumentum iuxta solium D O M I N I ,
quod D O M I N V S pugnaturus sit con-
tra Amalec ad omnem posteritatem.

Sic nos vincimus
Diabolum verbo &
precatione.

Psal. 34. Vultus
Domini aduersus fa-
cientes mala, vt per-
dat de terra memo-
riam eorum.

Nissi vexillum
meum.

CAPVT XVIII.

Argumentum.

TAM celebris fuit fama rerum gestarum in eductione populi Israël ex Ægypto, ut & Manethon Ægyptius describat profecitionem Ebræorum ex Ægypto, teste Eusebio libro decimo præparationis Euangelice, & Strabo lib. 16. secutus priscas narrationes dicit Mosen ducem fuisse, qui magne multitudini persuaserit, non recte coli Deum ab Ægyptiis, ac simulachra execratus sit, & docuerit quomodo Deus inuocandus sit. Hac celebritate permotus Iethro venit ad generum Mosen, eiq. non solum gratulatus est Dei præsentiam & auxilium, sed etiam sue fidei perspicuam confessionem edidit. Ideo autem in exitu Israëlitarum ex Ægypto tota illustria miracula exhibita sunt, quia Deus certissima testimonia de se & de sua lege, de promissione, de collectione Ecclesie conspicivoluit, que quidem cogitari vult omnibus etatibus, ut assensio de Deo & de tota Ecclesia doctrina in nobis confirmetur.

TEXTVS.

CVM

CVM audisset Iethro sacerdos Midian socer Mosi, omnia quæ fecerat DOMINVS Mosi & Israël populo suo, & quod eduxisset DOMINVS Israël ex Aegypto, Tulit Ziporam vxorem Mosi, quam domum remiserat, & duos filios eius, quorum unus vocabatur Gerson, Dixit enim, Peregrinus nus ego sum apud fui in terra aliena, te, sicut omnes paralter vero Eliëser,

Psal. 39. Peregrinus
nus ego sum apud
te, sicut omnes pa-
tres mei.

Dixit enim, Deus patris mei fuit meus opitulator, & liberauit me à gladio Pharaonis. Cum igitur Iethro socer Mosi & filij eius & vxor eius venissent ad Mosen in desertum, ad montem Dei, ubi castra locauerat, iussit ei nunciari, Ego socer tuus Iethro venio ad te vñā cum vxore tua atque cum duobus filiis tuis. Itaq; Moses obniam iuit socero suo, & gestu corporis reverentiam declarans osculatus est eum, cumq; alter alterum salutasset, ingressi sunt in tabernaculum. Et exposuit Moses socerosuo cun-

Approbat Deus ordinem & concinnam connexionem hominum in ciuili societate, videlicet mutuam reuerentiam & beneficentiam & modestiam.

Et a quæ fecerat D O M I N V S Pharaoni atq; Aegyptijs propter Israëlem, & omnem molestiam quæ ipsis in itinere acciderat, & quod liberasset eos D O M I N V S. Et lætatus est Iethro propter beneficia, quæ contulerat D O M I N V S in Israëlem, & propter liberationem à manu Aegyptiorum, & dixit, Benedictus D O M I N V S, qui liberauit vos à manu Aegyptiorum & Pharaonis, & qui eripuit populum hunc ex potestate Aegypti. Nunc scio, quod D O M I N V S maior sit omnibus diis, quia superbe eggerunt contra illos. Et accepit Iethro sacer Mosi holocaustum, & sacrificauit D O M I N O , venitq; Aharon & omnes seniores Israël ad comedendum panem cum sacerero Mosi coram Deo.

Altero autem die sedit Moses, vt iudicaret populum, qui astabat Mosi à matutino tempore usq; ad vespertinū. Et videns sacer Mosi omnia, quæ ille faciebat populo, ait, Qua ratione tractas populum? quare tu solus sedes, & cunctus populus astat tibi ab aurora usq;

ad ve-

Rom. 12. Gaude-
te cum gaudentib.

Confessio fidei
Iethro.

ad vesperam? Et respondit Moses sacerdos suo, Populus venit ad me, vt in consilium adhibeat D OM I N V M , Si quid enim negocij habent, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam statuta Dei & leges eius. Et ait sacerdos Moysi ad illum, Non recte facis, quia confidis teipsum laboribus & populum, qui tibi præsto est, Maior est enim hæc moles negotiorum, quam vt tu solus eam sustinere possis. Sed audi vocem meam, & ego consilium tibi communicabo, & erit Deus tecum. Sis tu patronus populi apud Deum, & perfer causas ad Deum, & doce eos statuta & leges, & monstra eis viam in qua ambulent, & officium quod faciant.

Elige autem ex vniuerso populo viros integros, timentes Deum, amantes * veritatis & inimicos † auaritiae, quos ceteris præficies videlicet tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, qui iudicent popu-

Vnius manus imbecillis pugna.

Iudicium *magistrorum*
ad ipsos.

* Cic. 2. offic. Iudicis est semper in causis verum sequi.

† Idem in eodem libro: Nullum vitium tetrius est quam auaritia, præsertim in principib. & Re-pub. gubernantib.

L 3 lum

lum omni tempore,
 & omnem causam
 maiorem ad te refe-
 rant, ipsi vero iudi-
 cent quotidianas causas, quæ non sunt
 magni momenti. Hoc pacto & teipsum
 alleuabis, & illis partem onerum impo-
 nes. Quod si huic consilio obtempera-
 bis, poteris exequi mandata Dei, &
 populus redibit in locum suum cum
 bona pace.

Obediuit itaque
 Moses consilio soce-
 ri sui, & fecit omnia
 quæ ille dixerat. Et
 elegit Moses viros
 integerrimos ex vni-
 uerso Israële & præ-
 fecit eos populo, vi-
 delicet tribunos, cen-
 turiones, quinqua-
 genarios & decanos,
 qui iudicauerunt po-
 pulum omni tempore, & causas qui-
 dem grauiores retulerunt ad Mosen,
 minora vero negotia ipsi iudicarunt.
 Dimisit autem Moses sacerdotum suum,
 qui rediit in regionem suam.

Exemplum doc-
 litatis non contem-
 nentis aliena iudi-
 cia. Sic Bernardus
 modestissime dixit:
 Minus sensui meo
 quam alterius cre-
 didi. Et Augusti-
 nus in quæst. super
 Exodum: Hic scri-
 ptura nos admonet
 nō debere contem-
 ni consilium verita-
 tis a quoque ho-
 mine datum.

C A-

CAPVT XIX.

Argumentum.

DIE quinquagesimo post exitum ex Ægypto, videlicet post primum pascha populi Israël promulgata est lex terribili voce de caelo, quia Deus voluit extare publicum testimonium sui iudicij aduersus peccata hominum. Et cum populus audiuerisset legem expandit ac petuit, ut per Mosen deferrentur mandata Dei ad multititudinem. Senserunt enim se non posse sustinere vocem legis. Hac historia significat eadem quæ geruntur in singulis, cum audimus vocem legis, id est, cum sentimus Deum iudicantem. Non enim potest natura hominum rea sustinere iram Dei iudicantis & lege terrentis conscientiam, sicut inquit Ezechias, Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Ergo promulgata lege agnoscuntur peccatum & ira Dei. Qui autem dedit legem, ipse dedit & gratiam, sed legem per seruum misit, cum gratia ipse descendit, ut quia lex ostendit peccata, non tollit, volentes legem suis viribus executi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ & impossibilitatis morbum, & inobedientie aufert reatum, ut preclare dixit Augustinus in sermone undecimo de verbis apostoli.

T E X T V S.

MENSE tertio post exitum Israëlitarum ex Aegypto, ipso die venerunt in desertum Sinai.

tem Sinai, vbi commoratus integrum annum ferme, legem Dei accepit, & tabernaculum cum omnibus vasibus ad sacrificia necessariis iuxta Dei præscriptum fabricauit, sicut illa describuntur copiose a 19. cap. Exodi usque ad finem libri, & per torum Leuiticum, & prima capita sequentis libri usque ad caput decimum Numerorum.

Nam profecti ex Raphidim venerunt in desertum Sinai, & castrametati sunt in ipso deserto, & ibi commorati sunt è regione montis. Moses autem ascendit ad Deum, & vocauit eum Dominus de monte dicens: Sic dices domui Iacob, & annunciabis filiis Israel, Vos vidistis quæ fecerim Aegyptiis, & quomodo portauerim vos alis aquilarum, & vos mihi adiunxerim. Si ergo audie-

Mense tertio progressionis ex Aegypto in die hac, id est, ut omnes fere interpretantur, die prima, peruenit populus duce Mose in solitudinē ad mon-

ferme, legem Dei accepit, & tabernaculum cum omnibus vasibus ad sacrificia necessariis iuxta Dei præscriptum fabricauit, sicut illa describuntur copiose a 19. cap. Exodi usque ad finem libri, & per torum Leuiticum, & prima capita sequentis libri usque ad caput decimum Numerorum.

Ecclesia ascendit ad Deum per fidem & Spiritum sanctū. Deus vero descendit ad nos per verbum & sacramenta docendo & exercendo nos in sui cognitione.

audieritis vocē meā, & custodieritis pactum meum, eritis mihi loco peculij præ omnibus populis, quoniam mea est vniuersa terra. Et eritis mihi sacerdotale regnum, & populus sanctus. Hæc sunt verba, quæ perferes ad filios Israël.

Venit itaq; Moses & vocauit seniores populi, & proposuit eis hæc verba omnia, quæ præceperat ei D OM IN V S. Et respondit totus populus simul dicens, Cuncta quæ locutus est D OM IN V S faciemus. Et retulit Moses verba populi ad D OM IN V M. Et ait D OM IN V S ad Mosen, Ecce ego venio ad te in densa nube, ut audiat populus me tecum colloquenter, & credat tibi in perpetuum. Et Moses nunciauit

Ex his verbis extruitur descriptio veteris testamenti: Vetus testamentum est vetus pactum, quo Deus obligat se populo ad dandam certam sedē & politiam, in qua tamē velit colligere æternam Ecclesiā, & vicissim obligat hanc politiam ad legis obedientiam, & conseruationem doctrinæ & promissio- nis in sua politia.

Multa dictu quam factu facilitiora sunt.

Vt Moses suaviter acquieuit in familiari congressu & colloquio Dei sic tecum certo eū colloqui scias, quoties hos ipsos libros le-

verba populi DOMINO. Et ait DOMINVS ad Mosen, Vade ad populum & san&ifica eos hodie.

gis prophetarum & apostolorum, quos Deus Ecclesiae tradidit, ut perpetuo eius vocem audiret.

& cras, lauentq; vestimenta sua, & sint parati in diem tertium, quoniam die tertio descendet DOMINVS coram toto populo in montem Sinai. Et constitues terminum populo in circuitu dicens, Cauete, ne ascendatis in montem, aut tangatis fines eius. Omnis enim qui tetigerit montem, morte morietur. Nulla manus tangat eum, sed lapidibus obruetur, aut telo confodetur, & siue homo sit siue iumentum, non viuet. Cum autem latus fuerit sonitus tubæ, tunc ascendant in montem. Descedit itaq; Moses de monte ad populū & sanctificauit eum, laueruntq; vestimenta sua. Et ait ad populū, Sitis parati in diem tertium, & nemo ad uxorem accedat. Cum igitur illuxisset dies tertius, excitata sunt tonitrua & fulgura, & densa nubes in monte, & sonitus,

Sanctificatio ceremonialis, id est, præparatio, sicut victimæ dicebantur sanctificari, quando a Leuitis præparabantur ad mactationem & oblationem.

nitus tubæ tam vehemens erat, ut vniuersus populus in castris cohoresceret. Et Moses eduxit populum ex castris, vt obuiam iret DOMINO, & steterunt ad radicem montis. Mons autem Sinai totus plenus erat fumo, quia DOMINVS in igne super eum descendebat, & fumus eius ascendebat sicut fumus fornacis. Ideo totus mons vehementer tremebat. Et tubæ sonitus crescebat & inualescebat. Ac Moses quidē loquebatur, DOMINVS vero respondebat ei clara voce.

Cum igitur DOMINVS descendisset super verticem montis Sinai, vocauit Mosen in verticem montis, & Moses ascendit, Dixitq; DOMINVS ad Mosen, descende, & contestare populum, ne perrumpant ad DOMINVM videndum, & multi ex eis cedant. Præterea sacerdotes qui proprius ad DOMINVM accedunt, sanctificant se, ne DOMINVS eos conterat.

Moses vero ait ad DOMINVM,
Non

Cum Deus ederet legem inter frangores horrendos & fulmina, tremuerūt longa montium iuga, faxa, scopuli. Si qui igitur concessionē legis rident, illis ipsis scopulis & faxis rupis Sinai duriores sunt.

Non poterit populus ascendere in montem Sinai, Tu enim contestatus es nos dicens, constitue terminum monti & sanctifica illum. Et dixit ei D O M I N V S, Vade & descende, Tu & Aharon vna ascendetis, Sacerdotes autem & populus non perrumpant ut ascendant ad D O M I N V M, ne forte conterat eos. Descendit itaq; Moses ad populum, & locutus est cum eis.

Moses typicus mediator inter Deum & Ecclesiam.

C A P V T X X.

Argumentum.

*I*NTER res maximas in genere humano verissime est illa patefactio Dei, cum legem cœlesti voce edidit in monte Sinai, auditentibus sexcentis millibus virorum, & ut non dubium esset, hanc esse doctrinam diuinam, addita sunt tot testimonia, Eductio populi per mare rubrum, aquis cedentibus, & postea Pharaonis interitus, manna de cœlo sparsum, & alia ingentia miracula, quorum consideratio in nobis fidem de tota doctrina in Ecclesia confirmet.

T E X-

T E X T V S .

ET locutus est Deus hæc verba omnia dicens, EGO SVM DOMI-
NVS DEVS TVVS,
Qui eduxi te de ter-
ra Aegypti, de domo seruitutis, Non
habebis Deos alienos coram me.

Non facies tibi sculptile aut ullam similitudinem eius, quod est in cœlo de super, & eius quod est in terra deorsum, & eius quod est in aqua sub terra, Non adorabis ea neq; colles.

Ego enim sum DOMINVS Deus tuus Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione eorum, qui me oderunt, & faciens misericordiam in millibus, qui diligunt me, & obseruant præcepta mea.

Non abuteris no-

Magna emphasis est in vocabulo TVS, q.d. Te vere respiciens, & curans tibi dans verbum, te vocans, tibi optulaturus, te exaudiens, seruans in hac vita & post hanc vitam.

Nefas est dete-
rioribus meliora as-
similare, neque aliter quam intelli-
gentia Deus compre-
hendi potest. Il-
lud etiam manife-
stum est cultum ido-
lorum cumulatum
esse status.

Semper negati-
mine

mine D O M I N I Dei
tui. Non enim pœ-
nam D O M I N I effu-
giēt, qui nomine ip-
sius abusus fuerit.

Recordare diei
Sabbati, vt eum san-
ctifices.

Sex diebus operaberis, & faci-
es omnia opera tua. Septimo autem
die sabbatum est D O M I N I Dei tui,
Non facies ullum opus in eo , tu & fili-
us tuus, & filia tua, seruus tuus & ancil-
la tua, iumentum tuum & peregrinus,
qui est intra portas tuas. Sex enim die-
bus fecit Deus cœlum & terram & ma-
re & omnia quæ in
eis sunt , & quieuit
die septimo, & iccir-
co benedixit D o-
nīn v s die Sabbati,
& sanctificauit eum.

Augustinus lib.
4. de Genesi ad li-
teram : Sic Deus in
telligentus est re-
quieuisse ab omni-
bus operibus suis,
vt iam nullam no-
uam conderet crea-
turam, non vt conditas continere , & gubernare
cessaret.

Honora patrem tuum & matrem tu-
am, vt sis longæuus super terram, quam
D O M I N V S Deus tuus tibi dabit.

Non occides.

Non

Non mœchaberis.

Non furtum facies.

Non dices contra proximum tuum
falsum testimonium.

Non concupisces domum proximi
tui.

Non concupisces vxorem eius , non
seruum, non ancillam, non bouem, non
asinum , nec omnia quæ illius sunt.

Et vniuersus populus cernebat toni-
trua & fulgura , & sonitum tubæ, mon-
temq; fumantem. Hæc cum viderent
fugerunt & à longe
steterunt dicentes
Mosi , Loquere tu
nobiscum & audie-
mus , Non loquatur
nobiscum Deus , ne
forte moriamur. Et
ait Moses ad popu-
lum , Nolite timere,
Venit enim Deus, vt
tentaret vos , & vt
timor illius semper
ante vestros oculos
versaretur , ne pec-
caretis. Stetit itaq;
populus à longe. Sed

In hac historia si-
gnificatum est , hu-
manam naturam nō
posse sustinere vo-
cem Dei iudicantis
seu indicium Dei ,
sicut & Deuter. 4.
dicitur, Deus est ignis consumens. Nec
vero Moses ipse au-
dire Deum potuif-
set, nisi filius fuisset
vmbraculum , sicut
Exodi 33. dicitur ,
Non videbit me ho-
mo & viuet, sed ad-
dit, protegam te de-
xtera mea. Non su-
stinet Moses iram
Dei , nec est propri-
Moses

Mōses penetrauit in caliginem , in qua errat Deus. Et ait D O M I N U S ad Mōsen , Sic dices filijs Israēl , Vos vidistis , quod de cœlo locutus sim vobis. Ideo nihil iuxta me facietis , argenteos & aureos deos non facietis. Altare de terra facies mihi , & sacrificabis super eo holocausta & pacifica tua , oves tuas , & boves tuos. Vbicunque enim memoriam nominis mei conseruabo , ibi veniam ad te , & benedicam tibi . Et si altare de lapidibus feceris mihi , non ædificabis illud de politis lapidibus . Si enim cultrum tuum ei admoueris , prophanabis ipsum . Neque ascendes per gradus ad altare meum , ne forte reueletur nuditas tua .

tiator , nec potest transfundere radios iusticie & virtutis in alios , Ideo velatus est , ut significetur typum propōni . Non colitur Deus sumtu , sed eum qui vult Deo placere oportet fide iustū esse , & hac præludente retinere propositum iusta faciendi .

C A P V T . X X I .

Argumentum.

IN HOC

*IN HOC capite & duobus sequentibus
recitantur leges forenses, quarum aliqua sunt
naturales & omnes gentes obligant omnibus
temporibus, ut lex de pena homicidij, aliqua
non sunt naturales, sed proprie ad politiam
Mosaicam pertinent, que non obligarunt
gentes, nec nos obligant. Hoc discrimine con-
siderato, lectio horum capitum non solum in-
cundior, sed etiam utilior erit.*

TEXTVS.

HAEC sunt iura, quæ propones eis.
Si emeris ser-
uum Ebræum, sex
annis seruiet tibi, In
septimo egredietur
liber gratis. Si sine
vxore intrauerit, si-
ne vxore egredie-
tur, & si vxorem ha-
buerit, vxor eius e-
gredietur simul. Sin
autem dominus de-
derit illi vxorē, quæ
ei peperit filios, vel
filias, vxor & liberi
eius erunt domini

Seruitus civilis,
quam Deus appro-
bat, est priuatio
legitima faculatis
possidendi res pro-
prias, & eligendi o-
peras proprio arbitrio,
& transferendi
corpus aut res pro-
prio arbitrio. Di-
ferte autem dicitur
legitima, quia do-
mini nō debent co-
gere seruos, ut faci-
ant contra leges di-
uinæ. Nam Deus
est superior domi-
nus, & nulla crea-
M sui,

sui, ipse vero exibit
sine vxore. Quod si
dixerit seruus, dili-
go dominum meum,
vxorem ac liber os,
non egrediar liber,
adducet illum domi-
nus eius ad deos, &
applicabit eum ad
ostium vel ad po-
stem, * perforabitq
aurem eius subula,
& seruiet ei in secu-
lum.

rem fodisti mihi. Nam filius factus est patri obediens usque ad mortem.

Si quis vendiderit filiam suam ut sit
ancilla, non egredie-
tur, sicut serui egre-
diuntur. Si disipli-
cuerit domino suo,
nec voluerit eam de-
spondere, potestatem ei faciet ut se-
redimat, populo autem alieno non po-
terit eam vendere, quia contempsit eam.
Si autem filio suo desponderit eam,
iure filiarum aget cum ea. Quod si al-
teram ei tradiderit, victum eius, & ve-
stitum

tura petere aut iu-
bere aliquid debet
contra mandata di-
uina iuxta dictum,
Oportet Deo ma-
gis obedire quam
hominibus.

Magistratus ap-
pellantur dii, quia
habent officium man-
datum a Deo, ut
sint vox legis & ex-
ecutores legis Dei.

* Fodere aurum est
postulare obedienc-
tiam, vt Psal. 40.
Christus inquit, Au-

tem fodiisti mihi. Nam filius assumta serui for-
ma factus est patri obediens usque ad mortem.

Non nuda exibit
sicut seruus. Ha-
benda est enim ra-
tio imbecillioris fe-
xus.

stitum & debitum coniugale non minuet. Si haec tria non praestiterit ei, egredietur illa gratis absq; pecunia.

Percutiens hominem ut moriatur, Seuerissima prohibitio homicidii, quæ extat Gen. 9.

morte moriatur. Si autem non insidiatus est ei, sed Deus permisit illum incidere in manus eius, constituam tibi locum, ad quem confugiat.

Si quis autem ex insidijs & dolo malo interficerit proximum suum, ab altari meo abstrahes eum, ut moriatur.

Qui percusserit patrem suū aut matrem suam, morte moriatur.

Cic. pro Roscio Amerino : Si id quod præclare a sapientibus dicitur, vultu sæpe luditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularerit, iura diuina atque humana cogebant? Plutarchus in libro de fraterno amore: Parentibus honorem post deos primum & maximum non modo naturā, sed etiam lex conseruatrix naturæ tribuit, nec ullum officium Deo magis placet, quam si liberi parentibus & nutriciis mutuam gratiam pro nutracione summa cum benevolentia & alacritate re-

M 2 ferant.

ferant. Contra vero nullum euidentius signum est impia mentis, quam neglectio & contemnus parentum. Nam si quis alios homines iniuria afficit, merito reprehenditur. Si quis autem non studet omnia facere & dicere, quæ parentibus grata esse intelligit, etiam si non offendat eos, immanis & impius ab omnibus iudicatur.

Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, atque inuentus fuerit in manu eius, morte moriatur.

dinc plagiarius ad necem

Qui maledicit patri suo aut matri sua morte moriatur.

non honorat patrem violat eum, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in sede ac domo, atque in republica collocauit, Cic. Paradoxis.

Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo, si surrexerit & ambulauerit foris, innocens erit percussor, sic tamen ut compenset quod ille interea neglexit, & sumitus, quos medi-

Lex de poena plagiarii, id est, eius, qui libero homini seruitutem conciliat. Cum autem libertas ciuilis sit summum bonum corporis, iustissimo orapitur.

Siracides cap. 3.
Honora parentes sermonem, opere & patientia. Qui vero

non honorat patrem violat eum, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in sede ac domo, atque in republica collocauit, Cic. Paradoxis.

Qui dedit alteri causam efficacem
damni, is debet dampnum compensare iux-
catio

catio postulauit.

Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortuus fuerit sub manu eius, poena afficiatur.

Sin autem uno die vel duobus superstes fuerit, non punietur, quia pecunia illius est.

Si rixati fuerint viri, & læserit aliquis grauidam, ut abortum quidem faciat, sed tamen maneat in columis, multam pecuniariam soluet, quantum maritus exegerit iuxta arbitrorum sententiam. Si autem damno affecta fuerit, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.

Si quis percusserit oculum serui sui vel ancillæ suæ, & perdiderit eum, lib

M 3 berum

ta dictum, Dilige proximum sicut te ipsum.

Vincula diuina & naturalia ligant seruos & liberos. Seneca : Non licent in hominem, quæ ius naturæ vetat.

Lex talionis : Iusta malis hæc admisso pro criminè poena est. Si quæ fecerunt eadem patiantur & ipsi.

berum emittet illum pro oculo suo. Et si dentem serui sui vel ancillæ suæ excusserit, liberum dimittet illum pro dente suo.

Si bos impetum fecerit in virum aut mulierem, & mortuus fuerit, saxis obruatur bos ille, nec caro eius comedatur. Dominus autem bouis innocens erit.

Deus est amans
vitæ hominum, nec
vult ab illa creatura
hoc suum opus
destrui.

Sin autem antea bos cornupeta fuerit, admonitusq; dominus eius non custodierit eum, sed ille interficerit virum vel mulierem, saxis obruetur bos ille, & dominus eius interficietur. Quod si premium ei fuerit impositum, dabit ad redimendam animam suam quicquid ei fuerit impositum. Simili iudicio agetur cum eo, si filium aut filiam lacererit. Si seruum aut ancillam percusserit bos, dabit domino eius triginta siclos argenti & bos ipse lapidabitur.

Si quis aperuerit foueam, aut foderit foueam, & non operuerit eam, & cederit in eam bos vel asinus, dominus fouæ data pecunia damnum compensabit, & cadauer retinebit.

Si im-

Si impegerit bos vnius in bouem proximi sui, & ille mortuus fuerit, vendant bouem viuum & diuidant premium eius, & cadauer quoque diuidant.

Si autem notum fuerit bouem antea fuisse cornupetam, & dominus eius non custodierit eum, reddet bouem pro boue, & cadauer retinebit.

C A P V T X X I I .

Argumentum.

MVLTAE sunt in hoc capite leges humanissime, quae non tantum ad illam politiam, sed etiam ad omnes homines pertinent, ut verbi causa, commonefactiones de officijs erga peregrinos, viduas & pupilos, de reuarentia debita magistratui, prohibitio usurrum.

T E X T V S .

SI quis furatus fuerit boue aut ouem, eamque mactauerit aut vendiderit, quinque boues pro uno boue reddet, &

M 4

Recens lex horum temporum seuerior est, quae omnes fures capitali supplicio afficit, quod habet rationem in his barbaris nationibus.
quatu-

quatuor oues pro
vna oue.

Si in perfosione
deprehensus fuerit
fur, & percussus
mortuus fuerit, per-
cussor non erit reus
sanguinis. Si autem
* sol ortus fuerit su-
per ipsum, reus erit
sanguinis.

Debet autem fur
compensare damnū,
Si nihil habuerit,
vendatur pro furto
suo. Si autem inuen-
tum fuerit apud eū
furtum, siue sit bos,
siue asinus siue ouis
viuens, duplum re-
stituet.

Si laeserit quispi-
am agrum vel vine-
am, & permiserit ut
iumentum ipsius a-
lienū agrum laedat,
is de optimo quod
habuerit in agro vel

vbi plerique fures
omnes habent ani-
mum latronum si-
milem.

Apud Græcos e-
rant tres gradus fu-
rum. Fures qui sine
violentia res abstu-
lerant. Hi conden-
nati duplo punie-
bantur. Deinde e-
rant graffatores,
qui armati penetra-
bent in alienas do-
mos, Græce τοξό-
ευκοι, id est, perfos-
tores parietum, vel
λαποδύται, id est, de-
trahentes vestes a-
liis. Item qui latro-
cinium exercebant
λύσαι. Hi duo po-
stremi gradus po-
nis capitalibus pu-
niebantur.

* Hoc & in legib.
antiquis secularib.
quibus tamen ista
est antiquior, inue-
nitur. Impune occi-
di nocturnum furē,
quoquo modo, di-
urnum autem si se-
cum telo defende-
rit. Iam enim plus
in vinea

in vinea damnū com-
pensabit. est quam fur. Au-
gust. in Quæst. su-
per Exodum.

Si egressus fuerit
ignis & inuenerit spinas, & absumperit
manipulos aut stantes segetes, aut a-
grum, damnum compensabit autor in-
cendij.

Si quis alterius
custodiæ cōmenda-
uerit pecuniam aut
vasa, eaq; fuerint ex
domo illius furto
surrepta, si depre-
hendetur fur, duplū
reddat. Sin autem
non deprehendetur
fur, adducetur do-
minus domus ad de-
os, an non admoue-
rit manum reb. pro-
ximi sui.

Quando alter al-
teri intendit actio-
nem iniuriarum, siue iniuria pertineat
ad bouem, siue ad asinum, siue ad ouem,
siue ad vestem, siue ad rem perditam,
vtriusq; causa ad deos referatur, & quæ
condemnauerint dij, is reddet duplum
proximo suo.

Depositum est res
quæ alterius fidei
commendata est, vt
non minori diligen-
tia quam res pro-
pria custodiatur, &
reddatur domino
poscenti sine insigni
detrimento & mu-
tatione. Qui autem
in seruando aut red-
dendo deposito non
præstiterant fidem
aut diligentiam, du-
pliciter punieban-
tur legibus Atticis
& Romanis videli-
ceret vt soluerent de-
positum, & vt essent
infames.

Si quis alterius custodiæ commenda-
uerit asinum, vel bouem, vel ouem, aut
aliud iumentum, idq; fuerit mortuum,
aut fractum aut captum, nemine vi-
dente, deferetur al-
teri iuramentum co- Deficientibus a-
ram domino, An nō liis probationibus
admouerit manū re- defertur iuramen-
tum.

bus proximi sui, & dominus rei recipi-
et (rem depositam) & ille non com-
pensabit : Sin autem furto ablatum
fuerit, domino rei damnum compensa-
bit. Si autem à bestijs laceratum fue-
rit, adducet ille testem, & non satisfa-
ciet pro lacerato.

Si quis à proximo
suo postulauerit (cō-
modatum) & id fra-
ctum fuerit vel mor-
tuum absente domi-
no, soluet commo-
datum. Sin dominus
eius præsens fuerit, non soluet, præ-
sertim si mercede conductum sit.

Si quis persuase-
rit virginem nondū
desponsatā, & dor-
mierit cum ea, dotet

Commodatū di-
citur alicuius rei ad
aliquem specialem
vsum gratuita facta
concessio, accipien-
te obligato ad red-
dendū idem in spe-
cie sine corruptela .

Lex Attica erat
disiunctiua, Stuprū
offerens virginī, aut
ducat eam aut det
& du-

& ducat eam. Si autem pater virginis recusauerit eam dare illi, appendet pecuniam quæ dotis nomine virginis debetur.

Maleficam non fines viuere.

Qui rem habuerit cum iumento, morte moriatur.

Qui immolat dijs, præterquam DOMINO soli, sit maledictus.

Peregrinum non affliges nec opprimes, quia peregrini fuisti in Aegypto.

Nullam viduam aut pupillum affligitis. Sin autem afflixeris eos, clamabunt ad me, & ego clamorem eorum exaudiam, & concipiam iræ ardorem, & interficiam vos gladio, ut vxores vestræ fiant viduae & filij vestri pupilli.

nes. Quare cum Deus sit amans hospitalitatis, & possit

dotem. At lex Moysaica erat copulativa: Stuprum offerens virginis & ducat eam, & de suo dotem constituat.

Aut sumus, aut fuitus, aut possumus esse quod hic est.

Quod Plato in quinto de legib. de hospitib. dixit, hoc eodem modo de viduis & pupillis potest dici: Iniuriae quibus hospites afficiuntur, pertinent ad Deum iudicem & vindicem. Nam hospes destitutus præsidio cognatorū & affinium, misericordia dignus est apud Deum & homines.

& possit punire delinquentes , haud dubie magna
seueritate puniet violationem officiorum , quæ
hospitibus debentur.

Si pecuniam mü-
tuo dederis populo
meo pauperi , qui te-
cum est , non eris im-
manis exactor debi-
ti , nec usuram ei im-
pones .

Si pignoris loco à
proximo tuo acce-
peris vestimentum ,
ante solis occasum
reddes ei . Nam ve-
stimentum eius est vnicum tegumen-
tum cutis eius in quo dormit . Si autem
clamauerit ad me , ego exaudiam , quia
sum misericors .

Dijis non maledi-
ces , & principem po-
puli tui non defor-
mabis conuicijs .

Vt igitur Deo non est maledicendum ; ita non
sunt deformanda organa operum diuinorum .

Plenitudinem tuā
& lachrymam tuam
sine mora offeres .

Lex Mosi vult of-
ficium mutuationis
inter ciues gratui-
tum esse , quia ci-
uis in communica-
tione rerum plus ob-
ligatus est civi , quā
peregrino aut hosti .

Pignus est res , de
qua inter credito-
rem & debitorem
conuenit , vt sit pro
debito obligata .

Cicero pro Ra-
birio perduellionis
reco : Magistratum
potestas proxime ad
deorum immortalium
numen accedit .

Plenitudo signi-
ficat fructus aridos ,
Lachryma significat
fructus liquidos .
Primo-

Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoq; & ouibus tuis similiter facies. Septem diebus sint cum matre sua, & die octauo offeres eos mihi.

Sitis homines sancti coram me. Carnem laceratam à bestijs in agro non comedetis, sed canibus eam obijcietis.

CAPVT XXIII.

Argumentum.

Hoc caput continet leges partim forenses, partim ceremoniales. Sunt autem leges forenses seu iudiciales in libris Moysi precepta à Deo tradita de externis actionibus regentibus hanc ciuilem societatem in divisione hereditatum, contractibus, iudicijs & penis. Leges ceremoniales Moysi sunt precepta à Deo tradita de ritibus externis sacramentorum & sacrificiorum, & priuatarum quorundam exercitiorum in cibo & vestitu, qui instituti sunt, ut essent vincula consociantia hunc ipsum populum in politia Mosaisca, & distinguentia eum ab omnibus alijs gentibus, & essent nerui publice congregacionis ad conseruandum ministerium docendi integrum,

*tegram & incorruptam doctrinam à Deo
traditam, videlicet legem & promissionem
Messiae.*

T E X T V S.

NON assentiaris
rumori vano,
nec coniungas ma-
num tuam cum im-
pio, vt sis iniquus
testis.

Vult iudici ita
notam esse verita-
tem, vt sit certus,
nec sequatur tantū
suspiciones, aut in-
certas opiniones.

Non sequaris turbam in malo, nec
dices sententiam de causa confirmatam
errore multitudinis,
vt recedas à iusticia. Cauendum est ne
multitudinis, sicut multi in controversiis reli-
gionis sequuntur opiniones vulgi, aut poten-
tum, nec inquirunt certam veritatem.

Pauperem non ornabis in causa sua.
Si occurreris boui inimici tui, aut a-
fino eius erranti, reduces eum ad illum.
Si videris asinum hostis tui onere op-
pressum iacere, caue ne deseras eum,
sed potius tuam rem negliges.

Non peruertes iudicium pauperis
tui in causa sua. Sis procul remotus à
falsa causa, nec innocentem & iustum
occidas, quia non iustum pronuncio
impium.

Non

Non accipias munera, quia excæcant
videntes, & peruerunt causas iustorū.

Peregrino non sis
molestus, quia noui- Non ignara mali
tis animam pere- miseris succurrere
grini, cum peregri- disco.
ni fueritis in terra Aegypti.

Sex annis sparges Lex de anno sep-
semina in terra tua, timo.
& congregabis fruges eius. Septimo
anno concedes ei quietem & otium, ut
comedant pauperes populi tui, & resi-
duum comedant bestiæ agri. Idem fa-
cies de vinea & oliueto tuo.

Sex diebus facies Repetitio legis
opera tua, & septi- de Sabbato.
mo die quiesces, vt
quiete fruatur bos tuus & asinus tuus,
& aliquid laxamenti habeat filius an-
cillæ tuæ & peregrinus.

Omnia quæ dixi vobis custodite, nec
nominis deorum a- Seuerissima pro-
lienorū recordemi- hibitio opinionum
ni, nec vlla eorum & cultuum pugnan-
mentio in sermone tium cum verbo
vestro fiet. Dei.

Ter mihi quotannis celebrabis fe-
stum, Nam festum fermentati panis
obser-

obseruabis. Septem
diebus comedes pa-

nes fermenti expertes sicut præcepi ti-
bi tempore mensis Abib. Illo enim
mense egressus es ex Aegypto. Non ve-
nies in conspectum meum vacuus. Et
festū messis prima-
rum frugum, quas in
agro conseruisti, &
festum collectionis
in exitu anni, cum
collegeris labores tuos ex agro.

I I. Pentecoste.

III. Festum ta-
bernaculorum.

Ter quotannis apparebit omne ma-
sculinum tuum in conspectu D O M I N I
Dei. Non sacrificabis vñā cum fer-
mento sanguinem sacrificij mei, nec
manebit adeps solennitatis meæ vñq;
ad matutinum tempus.

Primitias frugum terræ tuæ afferes
in domum D O M I N I Dei tui, & non
coques hœdum in lacte matris suæ.

Ecce ego mitto
angelum ante te, vt
custodiat te in via,
& introducat te in
locum, quem præparaui. Reuerearis
faciem eius & audias vocem eius, nec
irrites eum, quoniam non parcer ini-
quitati

Promissiones &
comminationes ad-
ditæ legi.

quitati vestræ , & nomen meum est in illo. Si autem vocem eius audieris , & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicorum tuorum & aduersarius aduersariorum tuorum.

Cum igitur angelus meus præcesserit te , & duxerit te ad Amorræum , & Hitthæum , & Pherisæum & Chananaeum, Hiueum atq; Iebusæum, & ego eos delenero , non adorabis deos illorum, neq; coles eos , nec facta illorum imitaberis, sed idola ipso-

Seuerissime prohibet Deus , ne Ecclesia polluatur vallis contagiis cultus idolorum.

rum euertes & destrues. DOMINO autem Deo vestro serujetis . Tunc benedicet panem tuum & aquas tuas, & ego omnes morbos à te auertam. Non erit abortum edens aut sterilis in terra tua, & numerum dierum tuorum implebo.

Terrorem meum mittam ante te , & omnium populorum ad quos tu veneris animos debilitabo , & perficiam ut omnes hostes tui terga tibi obuerrant. Et mittam ante te crabrones, qui expellent Hiueum , Chananaeum & Hitthæum coram facie tua.

Non tamen ejciam eum à facie tua

vno anno, ne terra fiat deserta, & bestiarum multitudo contra te augeatur. Paulatim ejciam eum à facie tua donec crescas & terram possideas.

Et ponam terminum tuum à mari rubro usq; ad mare Palæstinorum, & à desertu usq; ad flumen. Tradam enim in manus vestras incolas terræ, & expelles eos à facie tua. Non constitues cum eis fœdus, nec cum dijs eorum. Non habitent in terra tua, ne forte ad peccandum te inuitent. Si enim colueris deos eorum, erit tibi ea res tendicula.

CAPVT XXXIII.

Argumentum.

PRAE CIPVVS locus huius capituli est doctrina de discrimine veteris & noui testamenti, quæ alibi copiose traditur. *Vetus Testamentum* est promissio politiæ cum obligatione ad seruandam legem per Moysen traditam, quæ politia constituta est, ut in ea conseruaretur promissio de *Messia*, & ibi *Messias* exhiberetur, propter quem & semper ibi

per ibi aliqua electorum Ecclesia fuit. Sed nōnum Testamentum est promissio bonorum ēternorum, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiæ & vite aeternæ, quæ proprie Messiam gratis exhibentur, non propter legem.

TEXTVS.

AD Mosen quoqe dixit, Ascende ad DOMINVM tu & Aharon, Nadab & Abihu, & septuaginta seniores Israël, & adorabitis procul. Solus autem Moses proprius accedit ad DOMINVM, alij vero non accedant proprius, nec populus ascendat cū eo.

Venit itaque Moses, & exposuit populo omnia verba DOMINI & omnia iura, responditqe vniuersus populus vna voce, & dixerunt, Omnia verba quæ locutus est DOMINVS, faciemus. Et scripsit Moses omnia verba DOMINI, surgensqe

N 2

mane

Affirmant Ebræi Moysis institutum, qui septuaginta seniores legit, ut scribitur in capite undecimo Numerorū, mansisse ad omnem posteritatem, idque deinde fuisse collegium doctissimorū hominum, quod nominarūt Sanhedrin, quod pro Græca voce συνιδεῖσθαι usurparunt.

mane ædificauit altare sub monte, & duodecim statuas secundum duodecim tribus Israël, misitq; iuuenes de filijs Israël, vt offerrent holocausta & sacrificia pacifica D OMINO de bobus. Et accepit Moses dimidium sanguinis, & posuit in crateris, & dimidium sanguinis sparsit super altare. Et accipiens librum fœderis legit audiente populo, qui dixerunt, Cuncta quæ locutus est D OMIVS faciemus & obediemus. Tulit quoq; Moses sanguinem, & sparsit super populū dicens, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit D OMIVS vobiscum super cunctis sermonibus his.

Vetus testamentum sanguine taurorum & vitulorum sanctum est. Nomen est obsignatum sanguine filii Dei.

Ascenderunt ergo Moses & Aharon Nadab & Abihu, & septuaginta seniores Israël. Et viderunt Deum Israël, eratq; sub pedibus eius quasi opus lapis Saphirini, & quasi ipsum cœlum cum est clarum. Ad principes autem filiorū Israël non misit manum suam, videruntque Deum & comederunt atq; biberunt.

Dominus non interfecit eos. Et quam viderunt Deum: tamē vixerunt.

Et ait

Et ait D OM IN V S ad Mosen, Ascende ad me in montem, & ibi maneto, & dabo tibi tabulas lapideas & legem atq; præcepta, quæ scripsi, vt doceas eos. Et surrexit Moses & Iosua minister eius, ascendensq; Moses in montem Dei dixit ad seniores, Expectate nos h̄ic, donec reuertamur ad vos. Ecce Aharon & Hur sunt vobiscum, Qui habuerit causas, accedat ad eos.

Cum igitur ascendisset Moses in montem, operuit nubes montem, & habitauit gloria D OM IN I super montem Sinai, & operuit eum nubes sex diebus, vocauitq; Mosen die septimo ex media nube. Et erat visio gloriae D O MINI quasi ignis consumens in vertice montis coram filiis Israël. Et ingressus est Moses intra nubem, ascenditque in montem, & fuit Moses in monte quadraginta dieb. & quadraginta noctibus.

CAPVT XXXV.

Argumentum.

*IN HOC capite duo sunt loci præcipua obseruatione digni. PRIOR est allegoria
N 3 arce*

arcæ fœderis & propitiatorij. Primum enim appellatio arcæ fœderis significat illum tantum esse populum Dei , cum quo expresso verbo pactum fecit. Deinde in arcam collocata sunt due tabulae decalogi, quo significatum est Ecclesiam semper oportere custodem esse librorum prophetorum & apostolicorum, in quibus Deus se patefecit. Tertio arca regebatur tabula aurea, que vocabatur propitiatorium. Hac appellatione significatum est Ecclesiam regi aduersus iram Dei mediatore velut umbraculo. Addita est autem promissio de propiciatorio , inde Deum locuturum esse & ibi exauditurum. Nam Deus propter hunc propiciatorem nos recipit , exaudit & saluat. Supra hanc tabulam stabant duo Cherubim alas iungentes & sese contuentes. Hi significant ministerium doctrinae in utroq; testamento, & sunt iunctæ alæ , & facies se mutuo contentur , ut consensus doctrina significetur. Postremo vectes & baiuli significant ministros doctores & scholasticos.

A L T E R locus est dictum bis repetitum, Fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Hoc dictum monet lectorum de causa finali omnium rituum Leuiticorum, qui nihil aliud fuerunt nisi pictura beneficiorū Christi, ut Colossenses 2. & Ebraeos 8. dicitur.

T E X-

TEXTVS.

Locutusq; est D OM IN V S ad Mo-
sen dicens, Loquere ad filios Isra-
el, vt aliquid conferant ad oblationem,
eamq; accipietis ab omnibus, qui liben-
ter & ex animo non
grauatim aut coacte
conferunt. Hæc au-
tem est oblatio, quam accipietis ab eis,
aurum & argentum & æs, sericum fla-
num, purpuram, coc-
cinum, sericum al-
bum, & pilos capra-
rum, pelles arietum
rubore tintas, &
pelles melium, & li-
gna Sittim, oleum
pro lampade, aro-
mata pro vnguento,
& pro incenso fra-
grantissimi odoris, lapides Onychi-
nos, & gemmas includendas Ephod &
* rationali.

Faciant quoq; mi-
hi sanctuarium, vt
habitem inter eos,
Sicut tibi ostendam

Hilarem datorem
diligit Deus.

Hieronymus in
prologo Galeato:
In templo D e i
offert unusquisque
quod potest. Alii
aurum, alii argen-
tum, offerunt. No-
biscum bene agitur,
si obtulerimus pel-
les & caprarum pi-
los.

Ephod vestis te-
gens humeros sa-
cerdotis. Hæc ha-
bebat ab utroque
humero duos lapi-
des preciosos, qui-

N 4 ima-

imaginem tabernaculi & omnium vasorum eius, ita facietis.

Facite autem arcam de lignis Sittim, cuius longitudo erit duorum cubitorum & dimidiij, latitudo sesquicubitalis, & altitudo sesquicubitalis: operiesq; eam auro puro, intus & foris, & facies super eam coronam auream per circuitum. Fundes quoq; pro ea quatuor circulos aureos, & pones in quatuor eius angulis, ita ut duo circuli sint in uno eius latere, & duo circuli in altero eius latere. Et vectes de lignis Sittim, & tege eos auro, & insere eos illis circulis, qui sunt in lateribus arcæ, ut his adminiculis arca gestetur. Semper autem vectes manebunt in circulis, nec vñquam inde eximentur. Et repones in arca testimonium, quod tibi dabo.

Facies quoq; propitiatorium ex auro puro, cuius longitudo sit duorum cubitorum & dimidiij, &

bus erant inscripta tribuum nomina.

* Rationale tegebatur cor partē rationalem, in quo erant duodecim lapides.

Arca fœderis.

Propitiatorium.
Arca fuit inaurata. Propitiatorium fuit aureum. Ita Ecclesia tegitur iusticia Christi, & exaltitu-

latitudo sesquicubitalis. Facies etiam duos Cherubin ex solido auro in vtrahque parte propitiatorij, vt vnuis sit in hac parte, alter in illa, atq; ita duo sint Cherubim in duabus partib. propitiatorij. Et Cherubim expandent alas de super, vt alis suis tegant propitiatoriū, & facies eorum ita sese mutuo contueantur, vt simul in propitiatorium defixa sint. Pones autem propitiatorium super arcam, & in arca repones testimonium quod tibi dabo.

Inde testificabor tibi, & loquar tecum, videlicet de propitiatorio inter duos Cherubim, quod arcæ fœderis impositum est, omnia quæ tibi præcepturus sum ad filios Israël.

Facies quoq; mensam ex lignis Sittim, cuius longitudo erit duorum cubitorum, & latitudo vnius cubiti, atq; altitudo sesquicubitalis, & operies eam auro puro, faciesq; ei coronam auream per circuitum, & fimbriam latitudine

N 5 vnius

men in hac vita est imbecillis & quasi lignea obnoxia morti & aliis miseriis.

Hæc promissio addita propitiatorio illustratur 2. Paral. 6.

vnius palmi minoris , & coronam auream in ambitu illius fimbriæ . Facies porro in ea quatuor aureos circulos ad quatuor angulos , qui sunt in quatuor pedib. eius . Sub fimbria erunt circuli , ut vectes eis inserantur , quib. mensa gestetur . Et vectes facies ex lignis Sitim , & operies eos auro , ut his administralis mensa gestari possit .

Patinas præterea , calices , cantharos & phialas facies ex auro puro , ut sint instrumenta libationis . Et pones super mensam panes facierum coram me semper .

Facies & candelabrum ex auro puro & solido , in quo sint basis , calamus , phialæ , nodi & flores . Sex calami procedent de lateribus eius , tres calami ex uno latere , & tres ex altero latere . Tres phialæ formam amygdali habentes erunt in calamo uno , & totidem erunt in altero , vna cum nodis & floribus . Hi sunt sex calami procedentes ex candelabro . Et in candelabro quatuor fient phialæ amygdali formam habentes vna cum nodis & floribus suis . Eritque nodus sub duobus calamis , quorum sex

sex ex candelabro procedunt. Nam & calami & nodi ex ipso procedent, omnia quidem ex puro & solido auro.

Facies quoque lu-
cernas septem, quas Lucernæ.

in sublimi collocabis, vt è regione luceant. Forcipes eius & vasa in quibus fauillæ extinguntur fiant ex auro puro. Ex talento auri puri facies illud cum vniuersis vasis istis. Et vide vt facias ad imaginem quam in monte vidisti.

CAPVT XXVI.

Argumentum.

*Q*UEM AD MODVM post occupatio-
nem terræ Chanaan Deus templum edificari
iussit, & leges Israëlitis dedit de ritibus sa-
cramentorum & sacrificiorum, ne excogita-
rent nouos cultus: ita peregrinantibus illis ac
in deserto vagantibus tabernaculum extrui
precepit, quod facile transferri posset, in quo
preces & sacrificia offerrent. Semper autem
ad tabernaculum fuerunt classes sacerdotum
& leuitarum, non solum ut ibi mactarent pe-
cudes, sed multo magis, ut legem populo enar-
rarent, responderent ambigentibus animis,
& dyn-

& dijudicarent dogmatum controuersias, vnde clare testatur caput 17. in Deuteronomio, quod iubet deferri controuersias ad sacerdotes Leuiticos, & ad locum tabernaculi, & iudicari res non ex arbitriis potentum, sed ex lege diuina. Fuit igitur illud collegium schola seu Academia optime constituta, que quidem usq[ue] ad Christum annos circiter mille quingentos doctrinæ diuinae interpres et custos fuit.

T E X T V S.

TAbernaculum vero facies ex decem cortinis, serico albo retorto, serico flavo, purpurea & coccino, in quibus sint imagunculae singulari arte fabricatae. Longitudo cortinæ unius sit viginti octo cubitorum, & latitudo quatuor cubitorum. Omnes cortinæ sint æquales, & quinq[ue] sint coniunctæ vna cum alia, & quinq[ue] cortinæ simili nexu copulabuntur. Facies quoque ansulas ex serico flavo in ora cuiusque cortinæ, vbi debet fieri connexio, ut binæ in extremitatibus iungantur. Quinquaginta ansulæ sint in unaquaque cortina,

Cortinæ hoc loco
vsurpantur pro velis
seu aulæis, seu ta-
petibus.

tina, ut singulæ singulis colligari possint. Facies etiam quinquaginta fibulas aureas, quib. inter se connecti possint cortinæ, ut fiat tabernaculum.

Facies porro ex pilis caprarum tegumentum, ut sit stragulum tabernaculi constans ex vndeclim cortinis. Longitudo cortinæ vnius erit triginta cubitorum, & latitudo quatuor cubitorum, Omnes cortinæ erunt inter se æquales. Quinque sibi coaptabis, & sex hac ratione coniunges, ut sextam possis duplicare in aditu tabernaculi. Et facies quinquaginta ansulas in ora vniuscuiusque cortinæ, ut extremitates copulari possint. Et quinquaginta æneas fibulas facies, easque ansulis inferes, ut stragulum ex his componatur. Quod vero redundat in cortinis straguli, eius dimidium fines defluere per tabernaculum vtrinque vnius cubiti longitudine, ut redundans sit in lateribus tabernaculi, & vtruncque latus tegat. Supra hoc stragulum facies tegumentum ex pellibus arietum rubore tinctis, & supremum ex pellibus melium.

Tria stragula seu tegumenta tabernaculi arcebant pluuiam & ardorem.

Facies

Facies quoque tabulas pro tabernaculo de lignis Sittim, quæ erectæ stent. Vnius tabulæ longitudo sit decem cibitorum, & latitudo sit sesquicubitalis.

Duas manus habebit vnaquæcꝝ tabula, vt altera alteri coaptari possit. Hoc modo fabricabis omnes tabulas tabernaculi, quarum vinti erunt in parte austrina, & habebunt quadraginta argenteos pedes sibi subiectos, duos videlicet pedes singulæ tabulæ iuxta duas manus. Totidem tabulæ erunt in parte quæ Aquilonem respicit habentes quadraginta pedes argenteos, duos videlicet pedes singulæ tabulæ. In parte vero spectante ad occasum facies sex tabulas, & duas tabulas in angulis tabernaculi, in quibus duo latera iunguntur. Et alterutra ex his duabus tabulis infra quidem per basin, supra vero per circulum tabulæ laterali colligata erit. Erunt igitur octo tabulæ vnâ cum sedecim pedib. argenteis, ita videlicet, vt singulæ tabulæ binos habeant pedes.

Manus metaphorice appellatur dux partes prominentes a serra relictæ, quæ basibus insertæ tabulam erectam sustinebant.

Fac-

Facies & vectes Vectes,
ex lignis Sittim,

quinque pro tabulis tabernaculi in late-
re vno , & quinque pro tabulis taberna-
culi in latere altero , & quinque pro ta-
bulis tabernaculi in angulo occiden-
ti. Et vectes per medias tabulas sic im-
mittes , vt pertingant ab vno fine ad
alium. Operies autem tabulas auro , &
circulos earum facies aureos , vt eis in-
serantur vectes. Ipsos quoque vectes de-
aurabis. Et eriges tabernaculum ipsum
iuxta ordinem , quem vidisti in monte.

Facies & velum ex Velum.
serico flavo , purpu-

ra , coccino & serico albo retorto , in
quibus sint Cherubim singulari arte
fabrefacti , ponesque illud super quatuor
columnas ligni Sittim , deauratas , quæ
habeant nodos aureos , & quatuor pe-
des argenteos , & velum fibulis vincies ,
& pones arcam fœderis intra velum ,
quod faciet discriminem inter sanctum
& inter sanctum san-
ctorum. Impones
etiam propiciatori-
um arcæ fœderis col-
locatæ in sancto san-

Pompeius capta
vrbe Hierosolyma
sanctum sanctorū ,
id est , sacratissimam
templi partem in-
gressus , perlustravit
etorum.

ctorum. Mensam ve-
ro extra velum col-
locabis, & candelabrum
è regione men-
ſæ, ita videlicet, vt
mensa teneat latus
Septentrionale &
candelabrum latus
austrinum.

ea, quæ solis sum-
mis sacerdotibus a-
spicere licebat. Sed
annis quatuorde-
cim post occupatam
urbem Hierosolymā
ad Pelusium oppi-
dum Aegypti inter-
fectus pœnam huius
prophanationis per-
soluit.

Facies quoque operimentū pro ostio
tabernaculi ex serico flavo, purpura,
coccino & serico albo retorto conte-
xtum. Facies præterea illi operimento
quinque columnas de lignis Sittim, & o-
peries eas auro, & capita earum erunt
aurea, fundeque pro eis quinque bases
æneas.

C A P V T X X V I I .

Argumentum.

*SINGVLARI consilio Deus in populo
Israël tantum unum esse tabernaculum seu
templum voluit, ad quod fierent legitima ſu-
crificia, oblationes & maſtationes, & ad
quod ſemper præsto erat ſummus ſacerdos
cum aliquo collegio. Hæc ordinatio proderat
ad retinendam concordiam doctrine, opinio-
num &*

num & cultuum, quia diuersa tempла & diuersi pontifices citius peperissent diuersos cultus & diuersas opiniones, sicut postea accidit, quando Ieroboam & alij humana audacia condiderunt nouum templum. Hinc discordia & magni errores orti sunt.

T E X T V S.

FAcies & altare de lignis Sittim, quod habebit quinque cubitos in longitudine & totidem in latitudine, ut sit quadratum, & tres cubitos altū. * Cornua facies in quatuor angulis eius, & ipsum ære operies. Facies & ollas capaces cineris, palas, pelues, fuscinulas, igniū receptacula, & omnia vasa eius ex ære. Facies quoq; craticulam reti similem ex ære, & quatuor æne-

Altare.

Allegoriam huius loci explicat Epistola ad Ebræos cap. 13. Habemus altare, &c.

Conditor æternus
vera est tibi voce ro-

gandus,
Hunc tamen ut
places, ara petenda
tibi est.

Nulla est grata
Deo, nisi Christus
filius, ara

Qui luit officio
crimina nostra suo.
Huic appone manus, huic toto in-
cumbito corde,

Ad patrē nostras
perferet ille preces.

*Cornua sunt co-
lumnellæ imagin-
culis ornataæ.

O os cir-

os circulos in quatuor finibus eius. Sic autem facies craticulam, vt imam partem altaris cingens pertingat usq; ad medium altare. Facies præterea vectes pro altari ex lignis Sittim ære opertos, quos circulis inseres in utroq; latere altaris, vt his adminiculis gestari possit. Sic autem ex tabulis cauum facies, vt tibi in monte monstratum est.

Facies porro atrium tabernaculi, sci-
licet velamen ex se-
rico albo retorto, cuius longitudo in
latere austrino erit centum cubitorum,
& viginti columnas cum totidem basi-
bus æneis, & ænea capitella cum circu-
lis argenteis. Sic in latere Septentrio-
nali sit velamen longitudine centum
cubitorum, & viginti columnæ cum to-
tidem basibus æneis, & ænea capitella
cum circulis argenteis. In latere vero
quod ad Occasum respicit latitudo a-
trij habebit velamen longitudine quin-
quaginta cubitorum, & decem colum-
nas cum decem basibus. Deniq; versus
Orientem latitudo habebit quinqua-
ginta cubitos. Ha-
bebit ergo velamen Quomodo hic lo-
cus intelligendus sit,
in uno

In vno latere quindecim cubitos, & tres columnas cum tribus basibus, & in altero latere quindescim cubitos & tres columnas cum tribus basibus.

In porta vero atrij sit operimentum vi-

ginti cubitorum, contextum ex serico flavo, purpura, coccino, & serico albo retorto. Columnas habebit quatuor cum totidem basibus. Omnes columnæ in ambitu atrij argenteos habebunt circulos, & capitella argentea, & bases æneas. Et longitudo atrij continebit centum cubitos, & latitudo quinquaginta, altitudo quinqꝫ ex serico albo retorto, & bases erunt æneæ. Omnia vasa tabernaculi, ad omnes usus destinata, & omnes eius clavi, & omnes clavi in atrio sint ænei.

Præcipes quoque filiis Israël, vt afferrant tibi oleum de oliua purum & consum pro luminari, quod semper in sublimi lucerna ardeat, in tabernaculo testimonij extra Libenter gens Iu-

O 2 velum

dicant qui possunt, si tamen possunt p̄bare quæ dicunt, Ego me hunc locum non intelligere consitetur.

Porta atrii.

Oleum lucernæ.

velum quod est iuxta testimonium. Et parabunt eam (lucernam) Aharon & filij eius mane & vesperi coram D o m i n o . Hic ritus erit perpetuus ad omnē posteritatem inter filios Israël.

daica vſa est appellatione testimonii. Quare ſæpe generiter pro doctrina seu pro verbo Dei certis testimoniis tradito vſurpatur, vt Psal. 19. & Psal. 119.

C A P V T XXVIII.

Argumentum.

Sicut Aharon est sacerdos typicus: ita Christus vere est summus sacerdos, cuius hec definitio conuenit. Sacerdos est persona, quæ promissionem diuinam habet, ut certo statuere possit ſe exaudiri, vocata mandato diuino, ut doceat Euangelium, & oret ac sacrificet pro alijs. Hæc propriissime & primum competunt filio Dei, qui promissionem habet, qua certo ſcit ſe exaudiri, & hic filius protulit arcanum decretum de reconciliatione ex ſinu eterni patris, & ſemper orat pro nobis, deniq; sacrificium pro nobis obtulit, ſuam mortem, & quidem id sacrificium nobis applicauit. Ita ceteri sacerdotes doctrinam à Christo traditam

ditam populo sine corruptelis proponant, &
pro Ecclesia orent, & tanquam victimæ per-
ferant odia, exilia & supplicia propter ve-
ram doctrinam.

T E X T V S.

Accerses etiam Aharon fratrē tuum & filios eius ex filijs Israël, vt sint sacerdotes mei, videlicet Aharon & filios eius, Nadab, Abihu, Eleazar & Ithamar, faciesq; vester sanctas Aharon fratri tuo, quæ sint pulchræ & magnificæ.

ad Deum vere templum Dei sanctum dicitur, quia Deus in eo habitat. Templum saxeum & vasa dicuntur sancta, quia sunt dedicata vīsibus Dei.

Et loqueris cum omnibus qui sapientia excellunt, quos ego impleui spiritu sapientiæ, vt faciant vestes Aharon ad sanctificationem, vt sit sacerdos meus. Hæ sunt autem vestes, quas facient, Rationale, Ephod,

O 3 tala-

Ebraeos 5. Nemo sumat sibi honorē, sed qui vocatur a Deo tanquam Aha-ron.

Sanctum signifi-
cat ipsum Deum, &
res quibus se Deus
cōmunicat, vel de-
dicatas vīsibus Dei,
vt homo conuersus

Dan. 2. Deus dat
sapientiam sapien-
tibus.

talaris, tunica stricta, pileus, & baltheus. Has sanctas vestes facient fratri tuo Aharon & filijs eius, vt sint mei sacerdotes, & accipient aurum, sericum flauum, purpuram, coccinum, & sericum album.

Ephod facient ex Ephod.
auro, serico flauo, purpura, coccino,
& serico albo retorto, singulari arte,
vt in vtroq; humero sit connexio, &
duæ extremitates inter se deuinctæ sint.
Et cinctus ipsius supremus eadem arte
fabrefactus erit ex auro, serico flauo,
purpura, coccino, & serico albo retor-
to. Sumes autem duos lapides Onychi-
nos, & sculpes in eis nomina filiorum
Israël, sex nomina in vno, & sex reliqua
in altero lapide iuxta ordinem nativi-
tatis eorum. Arte gemmarij & sculpto-
ris sigillorum sculpes duos illos lapi-
des, & curabis, vt auro includantur,
ponesq; eos in vtroq; latere Ephod, vt
sint lapides conseruantes memoriam
filiorum Israël, & portabit Aharon no-
mina eorum coram
D O M I N O in vtroq;
humero suo recor-
dationis causa. Fa-

Vestes sacerdo-
les erant partim or-
namenta conueni-
entia ministerio,
cies

cies quoque bullas aureas, & duas catenulas ex auro puro, quæ habeant duas extremitates, & ta-

partim monumenta Ecclesiæ. Vult enim Deus sacerdotes querere non sua, sed Ecclesiæ commoda.

men partes earum inter se implicatae sint. Has catenulas cū bullis connectes.

Facies quoque rationale officij eadem

Rationale.

arte, qua Ephod, ex auro, serico flavo, purpura, coccino, & serico albo retorto. Quadratum erit & duplicatum longitudine & latitudine palmi maioris, ponesque in eo quatuor ordines lapidū. In primo ordine sint, Sardius, Topazius & Smaragdus. In altero Carbunculus, Sapphirus & Adamas. In tertio Lyncurius, Achates & Amethystus. In quarto Chrysolythus, Onyx & Iaspis. Auro autem inclusi erunt in singulis ordinibus, & dispositi iuxta nomina duodecim filiorum Israël, & arte gemmariorum sculpti, vñusquisque suo nomine iuxta duodecim tribus.

Facies quoque pro rationali catenas ex auro puro, quæ habeant duas extremitates, & tamen partes earum inter se implicatae sint, & duos annulos au-

O 4 reos in

reos in rationali , quos connectes cum duobus angulis rationalis , & duas catenas aureas illis annulis inseres in duobus angulis rationalis . Sed extremitates duarum catenarum duabus bullis inseres , easq; annectes humeris Ephod ut se mutuo contueantur .

Facies etiam alios duos annulos aureos , eosdemq; reliquis duobus angulis rationalis affiges loco conueniente , vt ad Ephod conuersi sint . Facies præterea alios duos annulos aureos , quos angulis infimis Ephod è regione collocatos affiges , vbi Ephod connectitur , sic tamen vt emineant supra ingeniosum opus Ephod . Et rationale vna cum annulis suis sic alligabitur per funiculum flauum ad annulos Ephod , vt ingeniosissimo operi Ephod firmissime adhæreat , nec vnuquam rationale ab Ephod diuelli possit .

Et portabit Aharon nomina filiorum Israël in rationali officij super pectus suum , quoties in sanctum ingreditur , perpetuæ recordationis causa coram D OMINO . Et pones in rationali officij Vrim & Thu-

Vrim significat lucē doctrinæ . Thuperatus

pectus Aharonis ,
quoties veniet in cō-
spectum D O M I N I ,
& gestabit officium
filiorum Israēl in pe-
ctore suo coram D O M I N O semper.

Facies porro tala-
rem inferiorē Ephod

Talaris.

totam ex serico flauo , in cuius suprema
parte in medio sit foramen , quod vndi-
que ambiat fimbria bene compacta ne
rumpatur. Et in fimbria inferiore faci-
es mala punica ex serico flauo , purpu-
ra , coccino , per totum ambitum , & in-
ter hæc aurea tintinabula per totū am-
bitum , ita videlicet vt rationem vicissi-
tudinis efficiant singula tintinabula
cum singulis malis punicis per totum
ambitum in fimbria talaris. Hac talari
erit indutus Aharon quoties officio
fungetur , vt audiatur sonitus eius quo-
ties ingreditur in sanctum coram D O-
MINO & rursus egreditur , ne moriatur.

Facies quoqz lami-
nam ex auro puro

Lamina.

exculptam , sicut sigilla exculpi solent ,
vt sit sanctitas D O M I N I , & affiges eam
funiculo flauo anteriori parti pilei in

O 5 fronte

fronte Aharon, vt portet Aharon ini-
quitatem sanctificatorum, quæ sancti-
ficant filij Israël cunctis oblationibus
suis sanctis, & manebit semper in fron-
te eius ad reconciliandos eos cum D o-
MINO.

Facies præterea Tunica strīcta.
tunicam strīctam ex serico albo, & pi-
leum ex serico albo, & baltheum opere
acupictoris.

Facies denique filijs Aharon tunicas,
baltheos & mitras, quæ sint pulchræ &
magnificæ, & his indues fratrem tuum
Aharon & filios eius, Et vnges eos, &
manus eorum imple-
bis, & sanctificabis
eos, vt sint mei sa-
cerdotes. Facies
quoque eis linea sub-
ligacula, vt partes te-
gendas velent à lumbis usque ad femora.
His erunt induiti Aharon & filij eius,
quoties ingrediuntur in tabernaculum
testimonij, aut proprius ad altare acce-
dunt, vt seruant in sanctuario, ne por-
tantes iniquitatem suā moriantur. Hic
ritus erit perpetuus ipsi & posteris eius.

Manum implere
est liberaliter con-
ferre omnia quæ
pertinent ad mini-
sterii conserua-
tionem.

CAPUT XXXIX.

Argumentum.

In hoc capite duae sunt dulcissime imagines, una de officio sacerdotum, altera de Christo & de Ecclesia. Voluit enim Deus hos ritus sacrificiorum commonefationes esse de rebus maioribus. Pectus & harmos sacerdotib. attribuit, non solum quia ea membra, cum plus carnis habeant, & magis thorosa sint, plus cibi suppeditant, sed etiam quia pectus significat sapientiam, harmi baiulos. Ante cellere autem sacerdotes eruditione & sapientia oportet, & ingens onus gubernationis præcipue sustinere. Altera imago Christum & Ecclesiam pingit. Sunt enim tres partes quotidiani sacrificij, crematio agni, libatio, & oblatio simile. Crematio agni significat mortem Christi. Libatio significat ubiq^z in toto mundo credentes illius agni sanguine aspergi per Euangelijs prædicacionem, hoc est, sanctificari, sicut Petrus loquitur, In sanctificationem spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi. Oblatio simile significat fidem, invocationem & gratiarum actionem in cordibus.

TEXTVS.

HAnc quoq^z rem facies eis, cū sanctifica-

Etificaueris eos mihi in sacerdotes. Tolle
 iuuencum vnum filium bouis, & arietes
 duos immaculatos. Panes quoque infer-
 mentatos, & placentas fermentatae expe-
 tes oleo mixtas, & lagana fermentata
 vincta oleo, ex farina triticea cuncta fa-
 cies. Ponesque haec in calathum vnum, &
 afferes ea in calatho una cum vitulo &
 duobus arietibus. Et Aharon atque filios
 eius adduces ad ostium tabernaculi testi-
 monij, & lauabis eos aqua. Tollesque ve-
 stes & Aharon indues tunica stricta, &
 talari, & Ephod, & rationali Ephod, &
 cinges ipsum ingenioso opere quod est
 in Ephod. Impones etiam pileum capitii
 eius, & sanctam coronam pileo. Tolles
 denique oleum unctionis, quod fundes
 super caput eius, & vnges eum. Filios
 quoque eius adduces, & indues eos stri-
 ctis tunicis. Deinde cinges Aharon &
 filios eius baltheo, & impones eis mi-
 tras, ut habeant sacerdotium ritu per-
 petuo. Implebis etiam manus Aharon
 & filiorum eius, adducesque iuuencum
 ad ostium tabernaculi testimonij, &
 imponent Aharon

Ritus victimarū
significauit Christū.
Deus aeternus pater
macta-

mactabisque iuuen-
cum illū coram D o-
M I N O , iuxta ostium
tabernaculi testimo-
nij. Et partem san-
guinis iuuenci po-
nes super cornua al-
taris digito tuo , &
relicuum sanguinem

fundes iuxta basin altaris . Accipies
quocq; vniuersum adipem , qui operit
intestina , & reticulum epatis , & duos
renes & adipem eorum , & cremabis su-
per altare . Carnem vero iuuenci &
pellem eius , atq; fi-
nam igne combures
extra castra , quia est
sacrificium pro pec-
cato.

mantur extra castra . Propterea & Iesus ut san-
ctificaret per suum sanguinem populum , extra
portam passus est . Examus igitur ad eum extra
castra probrum eius portantes . Non enim ha-
bemus hic manentem ciuitatem , sed futuram
inquirimus .

Accipies etiam arietem vnum , cuius
capiti Aharon & filij eius manus suas
imponent , cumq; mactaueris arietem ,
tolles sanguinem eius , & sparges super
altare

imposuit ei manus ,
id est , delegit eum ,
benedixit ei , vnxit
eum , & subiecit si-
bi , ac pressit ingenti
onere ac fecit victi-
mam pro nobis .
Hanc præcipue sig-
nificat hic ritus im-
positionis manuum .

Ebræos 13. Quo-
rum animalium in-
fertur sanguis pro
peccato in sancta
per pontificem , ho-
rum corpora cre-

altare per circuitū. Ipsum autem arietem secabis in frusta, lotaq̄ intestina eius ac pedes pones super frusta & caput eius. Deinde incendes totum arietem super altare, vt sit D OM I N O holocaustum, odor suavitatis & ignis D OM I N I.

Tolles etiam arietem alterum, cuius capiti Aharon atq̄ filij eius manus suas imponent, cumq; mactaueris arietem, sumes de sanguine eius ponensq; super chartilaginem dextram aurum Aha-ronis & filiorum eius, & super pollicem manus ipsorum dextrum, & super pollicem pedis eorum dextrum, & sparge-s sanguinem super altare per circuitum, cumq; tuleris de sanguine qui est super altare & de oleo unctio-nis, sparges super Aharon atq; super vestes eius, & super filios eius atq; super vestes filiorum eius, & sanctificabitur ipse & vestimenta eius atq; filij eius & vestimenta filiorum eius.

Tolles quoque de ariete adipem & caudam, & adipem qui operit intestina, & reticulum epatis, &

Cauda Deo cre-
mabatur, vt signifi-
caretur ad hunc si-
nem omnes actiones
referendas esse, vt
Deus celebraretur.
duos

duos renes vna cum adipe eorum, & harmum dextrum (est enim aries impletionum) & vnam crustulam panis, & vnam placentam oleo mixtam & lagnum vnum ex cophyno azymorum, quiescit coram D OMINO, ponesq; omnia super manus Aharon & super manus filiorum eius, & venti-labis ea coram D OMINO. Postea accipies ea de manu illorum, & inflammabis super altare in holocaustum, in odorem suavitatis. Est enim ignis D OMINI.

Tolles etiam pectus de ariete impletionum Aharon, idq; ventilabis coram D OMINO, eritq; pars tua. Sanctificabis itaq; pectus ventilationis, & harmū leuationis, quorum illud ventilatum est, hic in altum leuatus, de ariete impletionum Aharon & filiorum eius. Et erit Aharon ac filiorum eius ritu perpetuo a filijs Israël, quia est oblatio leuationis, & oblationes leuationis erunt D OMINI a filijs Israël de pacificis eorum & oblationibus leuationis.

Porro vestes sanctæ, quas habet Aharon, erunt filiorum eius post ipsum, vt in eis vngantur, & impleant manus suas in eis. Septem diebus induet eas sacer-

sacerdos , successor eius , qui de filijs eius est , vt ingrediatur in tabernaculum testimonij , & ministret in sancto.

Tolles autem arietem impletionum & coques carnem eius in loco sancto , & Aharon atq; filij eius comedent carnen arietis , & panes qui sunt in cophino iuxta tabernaculum testimonij , quia propitiatio per ea facta est , ad implendas manus eorum , vt consecrarentur.

Alienus autem non vescetur , quia sancta sunt. Ac si quid reliquum fuerit de carne impletionum aut de panibus vsq; ad matutinum tempus , combures illud residuum igne , & no comedetur , quia sanctum est.

Sic igitur facies Aharon & filijs eius omnia quæ mandaui tibi. Septem diebus implebis manus illorum , & quotidie mactabis iuuenium , vt sit hostia pro peccato ad placandum. Et altare mundabis , quando ipsum

Chrysoft. Homilia 18. posterioris ad Corinthios : Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat , partem autem populus , & non licet populo participem esse eorum , quorum particeps erat sacerdos. Sed nunc non sic , verum omnibus vnum corpus proponitur & poculum vnum.

Ipsum expiabis, idq; vnges vt consecratur. Septem diebus expiabis ipsum & sanctificabis vt sit altare sacratissimū. Omnis qui tetigerit altare sanctus sit.

Hoc est autē quod facies super altare. Iuge sacrificium.

(Offeres) agnos anniculos duos singulis diebus semper, vnum mane, alterum vesperi. Deci-

mam partem triticeæ farinæ mixtam oleo contuso, quod habeat quartā par-

tem Hin, & vinum ad libandum eadem mensura cum agno uno. Alterum vero agnū offeres vesperi

eodem ritu quo mane obtulisti immolationem & libationem, vt sit odor suavitatis & ignis DOMINO. Hoc erit holocaustum perpetuum in generacionibus vestris ante ianuam tabernaculi testimonij coram DOMINO, vbi testificabor vobis & tecum loquar. Ibi testificabor filiis Israël & sanctificabor in gloria mea. Et sanctificabo tabernaculum testimonij vna cum altari, & Aha-

Decimam, scil.
Ephi. Est autem Ephi mediuinus Atticus seu tria sata.

Hinc cōtinet duo-decim Log, id est, 12. sextarios Atticos, seu duos con-gios.

P ron atq;

ron atq[ue] filios eius sanctificabo, vt sint
mei sacerdotes. Et
habitabo inter filios
Israël, & ero illorum
Deus, vt sciant me
esse DOMINVM De-
um ipsorum, qui e-
duxī eos ex Aegy-
pto, vt inter eos habitarem, Ego DO-
MINVS Deus eorum.

Deus Ecclesiam
sic discernit ab aliis
creaturis, vt proprie-
faciat eam sibi tem-
plum & domiciliū,
& habiret in singu-
lis sanctis.

CAPVT XXX.

Argumentum.

*I*N HOC capite potissimum obseruetur
lex, quæ iubet ut singuli puberes Israëlitæ ta-
bernaculo quotannis soluant dimidium Sicli,
id est, didrachmum. *E*sit enim Siclus, autore
Iosepho, pondus quatuor drachmarum Atti-
carum. Ergo dimidium sicli erat didrach-
mum. *H*anc pensionem, quam lex templo at-
tribuit, Romani adem tam templo, suis ma-
gistratibus solui iusserrunt. *M*onet autem hec
lex Deum velle communi collatione iuuari
Ecclesiæ, vt Euangeli ministerium conserue-
tur. *S*epe autem accedit ut Ecclesiæ oppri-
mantur seruitute, & eripiantur stipendia
doctori-

doctoribus & discentibus, propter peccata eorum, qui doctrinam negligunt.

T E X T V S .

FAcies quoque altera ad incendendos odores ex lignis Sittim longitudine & latitudine vnius cubiti, ut sit quadratum, & altitudinem habeat duorum cubitorum vna cum cornibus. Operies autem ipsum auro puro, & tectum ipsum ac parietes per ambitum, eiusdemque cornua, & facies ei coronam auream per circuitum, & duos circulos aureos sub corona in utroque latere, ut eis inserantur vectes, quibus gestetur. Facies etiam vectes ex lignis Sittim, eosdemque operies auro. Et collocabis illud ante velum, quod prætensum est arcæ fœderis & propitiatorio, quod testimonio impositum est, unde tibi testificabor. Et incendet super ipsum Aharon preciosos odores singulis diebus mane, quando lucernas instruit. Eodem modo quan-

Altare suffimenter.

Psalmo 141. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sit sicut sacrificium vespertinum.

do vesperi lucernas
adornat , incendet
odores. Hæc erit per-
petua fumigatio co-
ram D O M I N O in generationibus ve-
stris. Non facietis in eo suffitum alic-
num , nec holocaustum , aut oblatio-
nem, nec libationem in eo libabitis. Et
semel quotannis pro-
pitiationē faciet A-
haron super cornua
eius de sanguine ho-
stiae pro peccato ad
placandum. Talis
propitiatio semel fi-
at quotannis in ge-
nerationib. vestris.

Ea enim D O M I N O sanctissima est.

Et locutus est D O M I N U S ad Mosen
dicens, Si numeraueris capita filiorum
Israël , dabit vñusquisque D O M I N O
propitiationem animæ suæ, ne plaga eis
accidat cum numeraueris eos . Dabit
autem vñusquisq; qui est in numero di-
midium sicli , iuxta
siclum sanctuarij, qui
valet viginti * Gera.
Dimidium sicli erit

Apocal.5. Phialæ
aureæ plenæ odora-
mentorū sunt ora-
tiones sanctorum.

Sacrificia propi-
ciatoria in lege sic
vocabantur, quia ty-
pi erant illius victi-
mæ, quæ Deo satis-
factura erat pro ge-
nere humano , &
placatura iram Dei
aduersus peccata ge-
neris humani.

Certū est siclum
continere quatuor
drachmas. Ergo di-
midium sicli erat
leuatio

leuatio DOMINI.

Omnis qui est in numero à viginti annis & supra , dabit leuationem DOMINO.

Diues non plus dabit , & pauper nihil imminuet de dimidio sicuti , quod datur DOMINO tanquam leuatio , vt sit propitius animabus vestris. Accipies autem hanc pecuniam propitiationum à filijs Israël & conferes eam ad cultum tabernaculi testimonij, vt sit monimentum eorum coram DOMINO , quod velit propitius esse animabus vestris.

Et locutus est DOMINVS ad Mosen , Labrum æneum. dicens , Facies & labrum æneum cum basi ænea ad lauandum , idq; pones inter tabernaculum testimonij & altare , & infundes in ipsum aquam , vt inde Aharon & filij eius lauent manus suas & pedes suos , quoties ingrediuntur in tabernaculum testimonij , aut accessuri sunt ad altare , vt seruiant adolendo ignem DOMINI , ne moriantur. Hic ritus erit perpetuus ipsi & semini eius in generationibus suis.

Et locutus est DOMINVS ad Mosen

P 3 dicens,

didrachmum, id est , quarta fere pars aurei Rhenani.

* Gera valet fere tribus numulis My-sorum .

dicens, Sume tibi a- Vnguentum san-
romata p̄ciosa, myr- etum.
rhæ purissimæ quingentos (siclos) &
dimidium cinnamomi aromatici vide-
licet ducentos quinquaginta, & calami
aromatici ducentos quinquaginta, &
casiax quingentos iuxta sicutum sanctua-
rij, & Hin olei olinarum. Et facies in-
de vnguentum sanctum artificio, quod
exercent pharmacopæi.

Hoc vnguento vnges tabernaculum
testimonij & arcam foederis. Mensam
quoq; & omnia vasa eius, candelabrum
& vasa eius, & altare incensi. Præterea
altare holocausti , vna cum oninibus
vasis eius , & labrum vna cum basi eius.
Et sic sanctificabis ea , vt sint sacratissi-
ma , omnis qui ea tetigerit sit sanctus.
Vnges etiam Aharon & filios eius , &
sanctificabis eos, vt sint mei sacerdotes.
Et ad filios Israël loqueris dicens : Hoc
oleum erit mihi vnguentum sanctum in
posteritate vestra . Super carnem ho-
minis non effundetur , neq; huic simile
facies, quia est sanctum. Ideo erit vo-
bis sanctum. Quisquis simile fecerit,
aut alteri ex eo dederit, exterminabi-
tur de populo suo.

Et ait

Et ait D OM I N V S Incensum.
 ad Moysen, Sume ti-
 bi aromata, Balsamum, Stacten, Gal-
 banum & thus purum, eodem pondere
 & mensura, & inde Aequalitas A-
 facies incensum ar- rithmetica.
 tificio quod phar-
 macopæi exercent, permixtum, vt sit
 purum & sanctum, & rediges ipsum in
 puluerem, & pones coram testimonio
 in tabernaculo testimonij, vbi testifica-
 bor tibi, sanctum sanctorum erit vo-
 bis. Huic incenso simile nullum facietis
 vobis, sed erit tibi sanctum D OM I N I.
 Quisquis simile fecerit, vt inde suffitū
 excitet, exterminabitur de populo suo.

CAPVT XXXI.

Argumentum.

P R I O R locus huins capit is testatur he-
 roica ingenia diuinitus excitari ad res ma-
 gnas gerendas in Ecclesia vel Republica. Ne-
 mo enim potest sibi quicquam sumere nisi sit
 ei datum desuper, vt Baptista verissime di-
 xit. A L T E R locus est repetitio legis de
 Sabbato, qua comprehenditur totum ministe-

P 4 rium.

rium. Nam Sabbatum cum sit dies constituta ad hanc officia, ut publice proponatur vox doctrinæ, & publicis ceremonijs commonescant homines, & populus conueniat ad discendum, & ad communem invocationem, præcipua ceremonia est, & nernus totius ministerij. Ideo comprehendendi hoc mandato de Sabbatho totum ministerium Ecclesiæ sciamus, quod est fœdus perpetuum inter Deum & Ecclesiam.

T E X T V S.

ET locutus est I.
DOMINVS ad Mosen dicens, Ecce nominatim vocavi Bezaleël filium Vri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & cognitione & omni artificio, vt possit ingeniose formare aurum, argentum & æs, & gemmas vera ratione exculpere & includere, & singulari industria tractare ligna ad fabricationem omnium operum. Et ecce ego adiunxi ei Ahaliab filium Ahisamach de tribu Dan. Et dedi omnibus inge-

Dan. 2. Deus dat
sapientiam & for-
titudinem.

omnia

nio præstantibus sa-
pientiam, vt faciant

omnia quæ præcepi tibi, videlicet tabernaculū testimoniū Congeries vasorum, arcam fœderis, rum tabernaculi. propitiatoriū quod ei impositum est, & cuncta vasa tabernaculi. Mensam quoque & vasa eius, candelabrum purum cum omnibus vasis eius, & altare incensi, præterea altare holocausti & omnia vasa eius & labrum cum basi sua, vestimenta ministerij & vestimenta sancta sacerdotis Aharon, & vestimenta filiorum eius destinata sacerdotio. Postremo oleumunctionis & incensum aromaticum sacrū. Omnia quæ mandaui tibi facient.

Et locutus est D o

I I.

M I N V S ad Mosen

dicens, Et tu loquere ad filios Israël dicens, Obseruate sabbatum meum, quia est signum inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis me esse D o M I N V M sanctificantem vos. Custodiatis igitur Sabbatum, cum vobis sanctum sit. Violans ipsum morte morietur. Qui enim fecerit in eo opus, illius

Opus, scil. impendiens ministerium.

anima exterminabitur de populo suo. Sex diebus susci-

P 5 pietur

pietur labor, At septimo die est Sabatum, sancta quies DOMINI. Omnis qui fecerit opus die Sabbati, morte morietur. Custodiant igitur filii Israël Sabbatum, ut etiam posteri eorum obseruent Sabbatum foedere perpetuo. Est enim signum perpetuum inter me & inter filios Israël, quoniam sex diebus fecit DOMINVS cœlum & terram, & die septimo quieuit & quasi recreatus est.

Dedit autem DOMINVS Moysi, postquam cessauit loquum eo in monte Sinai, duas tabulas testimoniij, tabulas lapideas scriptas dedit Dei.

Dux sunt tabulae Moysi, quia duplex est vita, Spiritualis & politica. Opus est igitur utroque genere operum, cultibus qui immedia-
te agunt cum Deo,
& politicis officiis.

CAPVT XXXII.

Argumentum.

IN omnibus hominibus inest hoc malum, quod vagantur, nec volunt ad Deum sicut alligari, sicut ipse se patefecit, sed volunt libere fingere de Deo quidlibet, & ludere opinioribus. Alter iudicunt Epicurei, alter Stoici, aliter

aliter idolorum inuentores, aliter heretici. Deniq^{ue}, malum hoc profundius est & maius quam ut explicari possit. Hoc arcanum malum pingit & accusat Moyses in cap. 32. Exodi, cum populus excusso Deo sinxisset vitulum. Nam & tunc vagabundae mentes finixerunt sibi Deum, reiecto cultu & verbo diuinitus tradito. Sic enim inquit textus, Videl Moses quod populus liberatus esset, quia Aharon liberauerat eos sistens eos ad ignominiam, id est, Videl Moses iam vagari populum sine Deo, sicut vagabantur gentes. Ludunt Thebani fingentes Bacchum, ludunt Attici fingentes Cererem, ludant Lampsaceni fingentes Priapum. Hanc libertatem vel potius licentiam ait textus ignominiam esse, quia est contumelia aduersus Deum, & summa miseria generis humani. Nihil enim tristius est quam hominem vivere sine Deo, sine praesidio Dei, sine invocatione vera. Sed cur hoc tantum malum accersunt sibi homines? Aharon permittit fabricationem vituli ut populum sistat, id est, inflectit religionem ad sistendum tumultum, ut nunc reges attemperant religionem ad splendorem aularum suarum. Huius mali magnitudo agnoscenda est, vt intelligamus quantum beneficium sit, quod Deus ipse fese certa voce, certis testimonijs

monijs & miraculis, denique & filio misso patefecit. Sciamus etiam nos debere alligatos esse ad verbum Dei nobis traditum, nec ab eo discedendum esse.

TEXTVS.

ET videns populus quod moram faceret Moses descendendi de monte, congregatus est aduersus Aharon & di-

Otiosus exercitus est similis incendio.

Prouerb. 29. Cessante prophetia populus licentiam sibi sumit.

xit ad eum, Surge, fac nobis deos qui nos antecedant. Nescimus enim quid acciderit huic viro Moysi qui nos eduxit ex Aegypto. Et dixit ad eos Aharon, Auellite ornamenta aurea ab auribus vxorū vestrum, filiorū vestrorum & filiarum vestrarum, & afferte ad me. Et auulsit universus populus ornamenta aurea quæ habebat in auribus suis & attulerunt ea ad Aharon. Et sumens de manu eorum, delineauit illud (aurum) stylo,

Videtur Aharon difficultia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione reuocaret, Augustinus in Q. super Exod.

& fabri-

& fabricauit inde vitulum fusum. Et dixerunt, Iste sunt dij tui ô Israël, qui te eduxerunt ex Aegypto. Hoc cum vidisset Aharon, ædificauit altare coram eo, & præconium fieri inssit, Festū Domini cras est. Et postridie mane surgentes, obtulerunt holocausta & hostias pacificas. Et sedit populus manducare & bibere & surrexit ludere.

maiore audacia fingunt opiniones de Deo, ut saepe accidit in Ecclesia. Samosatenus, Arius & miles, cum in magna securitate viuerent, nouas opiniones petulanter excogitarunt.

Locutus est autem Dominus ad Mosen, Vade, descende, quia populus tuus quem eduxisti ex Aegypto atrociter deliquit. Cito discesserunt à via, quam præcepi eis. Fecerunt enim sibi

Mobilitas cordis
humani,

vitudum

Non dubium est populum Israël imitatione Aegyptiorū fabricasse vitulum, quia Aegyptii coluerunt Apis specie tauri propter agriculturam. Et saepe homines ad visitata idola relabuntur. Præcipue vero hic consideretur, quanta sit hominum miseria, quod post tantā miracula populus tamen recipit idoli cultum, quem sciebat a Deo damnatum esse, & quod Aharon affentitur.

In otio & luxu homines frigidius

inuocant Deum, &

vitulum fusum , & adorauerunt ipsum ,
 & sacrificauerunt ei dicentes , Isti sunt
 dij tui Israël qui te eduxerunt ex terra
 Aegypti. Et ait D O M I N V S ad Mosen ,
 video hunc populum esse duræ ceruicis ,
 Et nunc sine me , vt
 ardeat ira mea con-
 tra eos & deuoret
 eos , Te autem faci-
 am in gentem ma-
 gnam.

Moyses autem o-
 rabat D O M I N V M
 Deum suum dicens :
 Cur D O M I N E exar-
 descit ira tua contra
 populum tuū quem
 eduxisti ex Aegypto

magno robore & manu forti ? Quare
 dicent Aegyptij , Ad calamitatem e-
 duxit eos , vt inter-
 ficeret eos in monti-
 bus , & deleret de
 terra , Remitte ar-
 dorem iræ tuæ , & propitius esto iniqui-
 tati populi tui. Recordare Abraham ,
 Isaac & Israël seruo-
 rum tuorum , quibus

Tria sunt genera
 delictorum , propter
 quæ præcipue Deus
 euertit Republicas
 & regna , Idolatria ,
 tyrannis , & libidi-
 nes.

Psal. 106. Et di-
 xit vt disperderet e-
 os , si non Moses
 eleætus eius stetisset
 in confractione in
 conspectu eius , vt
 auerteret iram eius
 ne perderet.

Causa finalis.
 Habeto ratione glo-
 rie tue & refuta
 blasphemos.

Causa impulsua.
 Sis memor promis-
 iurasti

iurasti per temeti-
psum dicens, Multi-
plicabo semen ve-
lionis tue, quam in-
rejurando cōfirmas-
sti.

strum sicut stellas cœli, & vniuersam
terram hanc, de qua locutus sum dabo
semini vestro, ut possideant eam perpe-
tuo. Placatus est itaq; D O M I N V S ne
faceret malum quod populo suo de-
nunciauerat.

Et vertens se Moses descendit de
monte habens in manu sua duas testi-
monij tabulas, quæ erant in vtraq; su-
perficie literis notatae. Nam Deus ipse
eas fecerat, eisq; scripturā insculpserat.
Audiens autem Iosua vocē populi iubi-
lantis ait ad Mosen, vox militaris est in
castris. Et respōdit, Non sunt mutuę vo-
ces fortiter pugnantū & clade affecto-
rum, sed vocem cantantium ego audio.

Cum igitur proprius accessisset ad ca-
stra & vidisset vitulum & choream, ira
inflammatus Moses eiecit ex manu sua
tabulas, easdemque confregit in ima-
parte montis.

Cum tabulæ de-
calogi dotalium instrumentorum formam ha-
berent, sponsa vero in ipso limine thalami nu-
ptialis ad committendum adulteriū declinasset,
Iure profecto dotales literas effregit, Theodo-
quist. 68. in Exod.

Et ar-

Et arreptum vitulum, quem fabricauerant, igne combusit & in puluerem rededit, quem sparsit in aquam, & hac potauit filios Israël. Et ait Moses ad Aharon: Quid fecit tibi hic populus, ut induceres super eum tam grande peccatum. Et respondit Aharon, Non concipiat flamas iræ dominus meus, Tu scis hunc popu- Cōfessio peccati.
lum malum esse. Di-
xerunt enim ad me, Fac nobis deos qui
præcedant nos, quia nescimus quid ac-
ciderit isti viro Moysi, qui nos eduxit
ex Aegypto. Et dixi ad eos, qui aurum
habet, id auellat & mihi tradat, quod
cum coniecisem in ignem, hic vitulus
extitit.

Cum igitur vidisset Moses, quod po-
pulus liberatus esset, quia Aharon libe-
rauerat eos sistens eos ad ignominiam,
stans in porta castrorum dixit, Qui
D O M I N I est ad me (veniat) & con-
gregati sunt ad eum omnes filii Leui,
quibus ait, Sic dicit D O M I N U S Deus
Israël, Accingat unusquisque gladium
suum super femur suum, & ite a credite
a porta ad portam castrorum, & occi-
dat quisque fratrem, amicum & propin-
quum

quum suum. Fecerunt autem filij Leui iuxta verbum Moysi, & ceciderunt de populo in die illa quasi tria millia vi-
rorum. Et ait Mo-
ses, Implete manus vestras hodie D o-
MINO, vnuſquisq; pro filio suo & pro
fratre suo, vt detur vobis hodie bene-
dictio.

Pœna idolatriæ,
1. Cor. 10.

Altero die dixit Moses ad populum, vos contaminati estis peccato magno. Nunc ergo ascendam ad D O M I N U M , si forte possim eum flectere ad condonationem vestri delicti. Reuersus ergo Moses ad D O M I N U M , Obsecro, inquit, Contaminavit se hic populus magno peccato, quia fecerunt sibi deos aureos. Nunc ergo dimitte peccatum eorum. Sin aliter, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit D O M I N U S , Quid? Qui aduersus me deliquerit, hunc delebo de libro meo, Tu au- tem vade & duc populum istum in eum (locum) de quo dixi tibi. Ecce angelus meus præcedet te. Ego visitabo pecca-

Exemplum amo-
ris ardentis erga Ec-
clesiam. Sic Paulus
Rom. 9. optat fieri
anathema pro fra-
tribus.

Q

tum eo-

tum eorum, quando
venerit tempus visi-
tationis meæ. Hoc modo puniuit D o-
MINVS populum propter fabricatio-
nem vituli, quem fecerat Aharon.

Quod differtur
non auferatur.

CAPVT XXXIII.

Argumentum.

Cv M Deus iusta ira aduersus populum Israël propter idolatriam commotus, negaret se populo præitorum esse per desertum, & tanquam abiecta eius cura, iam Moysi omnem gubernationem commendaret, ac promitteret se illi additurum esse angelum, qui esset dux populi, nec amplius cum populo, sed tantum cum Moysi loqueretur, Moses ardenter precatione usus est inquiens, Ostende mihi gloriam tuam. Hanc admirandam historiam, qua nulla abstrusior est in toto Moses, quidam sic exponunt. Petit Moses ut Deus præmonstret cursum totius huius gubernationis populi. Deus vero respondet, nolle se cerni faciem, id est, consilia sua ante finem consummatæ Ecclesie, sed videre nos posteriora, id est, in consummatione visuros esse gloriam. Interim latere Ecclesiam in foramine petræ, id est, in

est, in presenti statu subiectam cruci, & tam
men tegi eam manu Dei. Hæc sententia gra-
tissimam consolationem nobis proponit, quia
testatur Ecclesiam nunc tegi manu Dei, &
postea glorificandam esse, latere autem in fo-
ramine petre, id est, in praesenti statu inni-
xam petra Christo.

Aly vero, inter quos est Augustinus
enarrans Psalmum 138. & in questionibus
super Exodum, intelligunt Mosen sustinere
personam sui populi, & hanc interpretatio-
nem tradunt. Petit Moses conspectum filij
Dei, qui est splendor glorie eterni patris. Pa-
ter vero respondet. Ego transire faciam co-
ram te, id est, coram populo tuo omne bonum
meum. Nam in Christo sunt omnes thesauri
sapientie, & in eo habitat omnis plenitudo
divinitatis & beatitudinis. Ipse etiam filius af-
firmat se assumta natura humana fore mini-
strum & doctorem huius populi, Predicabo,
inquit, in nomine Domini coram te, & quale
genus doctrinae allaturus sit his verbis ostendit.
Miserebor cuiuscunq; me miseret, ac miser-
abor quemcunq; commiserabot, id est, doce-
bo Euangelium, quod excludit omnium homi-
num dignitatem, & affirmat credentes gratias
recipi per solam misericordiam propter me-
diatorem. Sed faciem meam videre non po-

teris , scilicet in hac vita mortali . Nam in vita æterna omnes electi fruentur clarissimo conspectu Dei . Interea seruabit Deus hanc politiam innixam petræ , donec transierit Christus de mundo ad patrem . Post hunc vero transitum delebitur politia Mosaica , & Ecclesia collecta ex Iudeis & gentibus videbit posteriora Christi , id est , in verbo agnoscet eum , visura faciem tunc cum glorificabitur in fine .

T E X T V S .

Locutusq; est D o m i n u s ad Moysen dicens , Age ascende hinc tu & populus quem eduxisti ex Aegypto , in terram quam iuraui Abraham , Isaac & Iacob dicens , Semini tuo dabo eam , & mittam ante te angelum , & ejiciam Chananæum , Amoræum , Hitthæum , Pherisæum , Hiuæum atq; Iebusæum , in terram fluentem lacte & melle . Non enim ascendam tecum , quia tu es populus duræ ceruicis , ne forte deuorem te in via . Audiens autem populus verbum hoc malum luit , nec quisquam gestabat ornamenta sua .

Idem nobis in
publicis Ecclesiæ pe-
riculis faciendum
est .

Et di-

Et dixit D OM I N V S ad Mosen , Dic ad filios Israël , vos estis populus duræ ceruicis . Faciam aliquando in te subitam impressionem & delebo te . Nunc ergo depone ornamenta tua , vt sciam quid faciam tibi . Et deposuerunt filij Israël ornamenta sua iuxta montem Horeb .

Et Moses tollens tabernaculum tendit extra castra , & quidem procul à castris , & appellauit ipsum tabernaculum testimonij . Et omnis qui volebat interrogare D OM I N V M , egrediebatur ad tabernaculum testimonij extra castra . Cumq; egrederetur Moses ad tabernaculum , surgebat vniuersus populus , & singuli stabant in ostio tabernaculi sui & respiciebant tergum Mosi donec ingrederetur tabernaculum . Ac quoties veniebat Moses in tabernaculum , descendebat columna nubis , & stans in ostio tabernaculi , loquebatur cum Mose . Et vidit vniuersus populus columnam nubis stantem in ostio tabernaculi , & surgentes adorauerunt singuli in ostio tabernaculi sui . Loquebatur autem D OM I N V S cum Mose facie ad faciem , sicut Facie , id est , co-
loqui-

236 C A P V T X X X I I .
loquitur homo cum
amico suo.

Quoties autē re-
dibat in castra , mi-
nister eius Iosua fi-
lius Nun iuuenis nō
discedebat à taber-
naculo .

Dixit autem Moses ad D O M I N U M ,
Ecce tu dicis ad me , duc populum istū ,
& non indicas mihi quem missurus sis
mecum , cum quidem dixeris , Noui te
ex nomine , & inuenisti gratiam coram
me. Si ergo inueni gratiam coram te ,
ostende quāso mihi viam tuam , vt co-
gnoscam te , & gratiam coram te inue-
niam. Et vide quod populus iste sit po-
pulus tuus. Et ait , Facies mea ibit , qua-
te dirigam. Ipse ve-
ro dixit ad eum , Si
facies tua non ibit ,
non educas nos de
loco isto. In quo e-
nim cognoscetur me & populum tuum
inuenisse gratiam coram te , nisi in hoc
si nobiscum eas ? vt ego & populus tu-
us simus admirationi omnibus popu-
lis , qui orbem terræ incolunt. Dixit
autem

Petit Moses , vt
Deus ipse assit sux
gubernationi , quia
certe gubernatio si-
ne Deo infelix est.

autem DOMINVS ad Mosen, Quod iam locutus es, id quoque faciam. Inuenisti enim gratiam coram me, & noui te ex nomine.

Ille vero dixit: Ostende mihi gloriam tuam. Et dixit: Ego transire faciam omne bonum meum coram te, & prædicabo in nomine DOMINI, & miserebor cuiuscunque me miseret, & miserabor quemcunque commiserabor. Sed faciem meam, inquit, videre non poteris, Nemo enim faciem meam videre potest ac vinere. Et dixit DOMINVS, Ecce locus est iuxta me, vbi consistes in petra. Et cum transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam te manu mea donec transfiero. Et cum abstulero manu meam, videbis posteriora mea, Sed faciem meam videre nō poteris.

hoc mundo ad patrem. Hæc itaque magna omnino prophetia est. Ipse enim ante omnes sanctos transit ad patrem de hoc seculo parare illis mansiones regni cœlorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum, quoniam transiturus ante omnes primogenitus a mortuis factus est.

August. in quæst.
super Exod. Ille intelligitur loqui &
dicere, Donec trans
fiero, de quo dicit
Euangelium: Cum
venisset hora, vt
transiret Iesus de

CAPVT XXXIIII.

Argumentum.

VERISSIME dixit Augustinus
narrans Psalmum 90. Moses non tantum
est minister veteris, sed etiam propheta noui
testamenti. Huius asseverationis illustre ex-
emplum in hoc capite proponitur. Nam prior
pars continet narrationem de descensu filii
Dei in nube, qui stans iuxta Mosen specimen
edit eius doctrinæ, quam postea assumta na-
tura humana illustrauit. Summa autem con-
cionis hæc est: Sicut lex per Mosen data
est, Ita gratia & veritas per Christum facta
est. Nam pater placatus obedientia filii gra-
tis remittit peccata, delicta & prævaricatio-
nes. Aspernantur hæc homines profani, sed
nos in Ecclesia non aspernemur filium Dei.
Hunc unum sciamus constitutum esse propi-
ciatorem, nec ullam esse sapientiam & iustici-
am humanam anteferendam huic mediatori.
Altera pars est precatio, qua petit Moses,
ut ipse Dominus sit dux populi, & ambulet
coram eo, nec deserat, sed sibi seruet eum tan-
quam hereditatem. De hac precatione re-
spondet Dominus se facturum quod perire, &
rediturum miranda opera, & ut ipso euentu
decla-

*declarat populum in gratiam receptum esse,
instaurat initum cum ipso fædus , scriptis
etiam denuo tabulis Decalogi , & breui repe-
titione colligit in summam reliquas leges , &
ritus seruandos in hac politia.*

T E X T V S .

ET ait D O M I N V S ad Mosen, Scul-
pet tibi duas tabulas lapideas instar
priorum , & scribam super eas verba,
quæ fuerunt in tabulis prioribus , quas
fregisti. Et esto paratus mane, ut ascen-
das mane in montem Sinai , & stes ibi
mecum in fastigio montis. Nemo as-
cendat tecum, nec quisquam conspicia-
tur in toto monte , nec oues aut boues
pascantur in vicinia huius montis .
Sculpsit igitur duas tabulas lapideas in-
star priorum , & surgens Moses mane
ascendit in montem Sinai , sicut præce-
perat ei D O M I N V S , & gestauit manu
sua duas tabulas lapideas .

Et descendit D O M I N V S in nube, &
stetit iuxta Mosen
& prædicauit in no- Historia admī-
mine D O M I N I , & randa.
transiuit coram eo & clamauit, Domi-

nator D OMINE Deus , miserator & clemens , lentus ira , & multæ bonitatis & verax , qui custodis misericordiam in mille generationes , & remittis peccata , delicta & præuaricationes , & coram quo nemo est innocens , visitans peccata patrum in filijs & posteris usq; in tertiam & quartam generationem.

Etiamsi quis humano iudicio argui non potest , tamen tu potes eum accusare.

Et festinans Moses inclinauit se ad terram & adorauit , dixitque , Si inueni gratiam coram te D OMINE , eat quæ so D OMINVS meus nobiscum , populus enim duræ ceruicis est , & propitius sis iniquitati nostræ & peccato nostro , & sinas nos esse tuā hæreditatem . Qui ait , Ecce ego constitua m fœdus coram toto populo tuo , & faciā mirabilia , quæ non sunt creata in vniuersa terra atq; in omnibus nationibus , & videbit om-

Precatio Moysi.

Ecclesia est æterna hæreditas filii Dei , Psal. 1. & 16.

Gloria veteris testamenti est legis promulgatio , & constitutio certæ politiæ , & multæ admiringandæ victorie in currentes in oculos plurimarum genti nis po-

nis populus in cuius
medio tu es , opus
D O M I N I . Erit e-
nī mirabile , quod
ego tecum faciam.

Custodi quæ ho-
die tibi præcipio.

Ecce ego ejciam coram te Amorræ-
um, Chananæum, Hitthæum, Pherisæ-
um, Hiueum & Iebusæum. Cae ne
constituas fœdus cum incolis terræ , in
quam ingredieris, ne fiat tibi tendicula
in medio tui , sed al-
taria eorum euerte-
tis , & statuas illo-

rum confringetis , & lucos eorundem
succidetis , nec adorabis Deum alien-
num , Nam D O M I N V S appellatur Ze-
lotes , quia est Deus zelotes , Ne forte
si inieris fœdus cum
incolis terræ , & il-
li fornicati fuerint

post deos suos , & sacrificauerint dijs
suis , vocent te & comedas de sacrificio
eorum , & accipias de filiabus eorum fi-
lijs tuis , & fornicentur filiae eorum post
deos suos , faciantq; fornicari filios tu-
os post deos suos.

um, quæ proderant
vniuersæ multitudi-
ni , sanctis & non
sanctis.

Ioannis 5. Pater
meus usque modo
operator & ego o-
peror.

1. Cor. 10. Fugi-
te idola.

Fœdera cum im-
piis fugienda.

Deos

Deos fusos non facies tibi. Festum fermentati panis obseruabis. Septem

Repetitio qua-
rundam legum, de
quibus supra dictū
est.

diebus comedes panes fermenti exper-
tes, sicut præcepi tibi tempore mensis
Abib. Nam mense Abib egressus es ex
Aegypto.

Omne quod ape- Lex de primoge-
rit matricem meum nitis.
est, Quicquid masculinum erit in peco-
re tuo aperiens matricem, siue sit bos,
siue ovis. Primogenitum autem asini
agno redimes, quod si non redemeris,
franges ipsi ceruicem. Omne primoge-
nitum filiorum tuorum redimes, nec
quisquam coram me appareat vacuus.

Sex diebus laborem sustinebis. Se-
ptimo die cessabis tam ab agricultura
quam à messe. Festum hebdomadum
celebrabis cum primitijs messis triti-
cear, & festum collectionis in exitu anni.

Tribus vicibus quotannis conspicie-
tur omne masculinum tuum coram do-
minatore, D O M I N ' O , Mysterium trini-
Deo Israël. Cum de-
leuero gentes coram tatis. Non enim
te & amplificauero nomen Dei ter re-
petitur. fines

fines tuos , nemo appetet terram tuam,
quia tribus vicibus quotannis ascen-
dis ut conspiciaris coram D OM I N O
Deo tuo.

Non offeres super fermentum san-
guinem sacrificij mei , nec pernoctabit
vsque ad auroram sacrificium festi pa-
schalis.

Primitias primarum frugum agri
tui afferes in domum D OM I N I Dei
tui , & non coques hœdum in lacte ma-
tris suæ.

Et dixit D OM I N V S ad Mosen, Scri-
be tibi verba hæc, quia iuxta formulam
horum verborum constitui fœdus te-
cum & cum Israël. Et commorabatur
ibi cum D OM I N O Ieiunium mira-
quadraginta dies & culosum.
quadraginta noctes,
& non comedit panem neq; bibit a-
quam , & inscripsit tabulis verba fœde-
ris, decem verba.

Cum autem de-
scenderet Moses de
monte Sinai , habe-
bat duas tabulas te-
stimonij in manu
sua , nec sciebat cu-

Mosi facies spar-
sit fulgorem , vt a-
spici a populo non
posset, ac propterea
cum loqueretur ad
populum , texit fa-
ciē velamine , quod
tem fa-

tem faciei suæ fulgere , quia locutus fuerat cum eo. Vi-

tamē ingrediens ad Dominū , & loquens
cum eo amouit.

dentes igitur Aharon & omnes filij Israël fulgorem cutis in facie ipsius , non ausi fuerunt proprius ad eum accedere. Et cum vocasset eos Moses , conuersi sunt ad eum Aharon & omnes duces congregationis , & locutus est Moses ad eos. Postea etiam accesserunt omnes filij Israël , & præcepit eis omnia , quæ locutus fuerat D O M I N V S cum eo in monte Sinai. Ac quoties locutus est Moses cum eis , posuit velamen super faciem suam . Et rursum ingrediens Moses in conspectum D O M I N I ut loqueretur cum eo , remouit velamen donec egredieretur , & egressus loquebatur cum filijs Israël , quæ in mandatis habebat. Cum igitur viderent filij Israël , quod fulgeret cutis in facie Mosi , iterum texit velamine faciem suam donec ingredieretur ad colloquium Dei.

tica & Pharisaica , sed fulgorem Moysei ferre na-

Huius historie si-
gnificationē . Cor.
3. Paulus exponit.
Populus intuetur
faciem Moysei ve-
tam , id est , legis
externa opera vi-
cunque audit & imi-
tatur , & hac imita-
tio est iusticia poli-
tura

tura hominum non potest , id est , iudicium & iram Dei aduersus peccatum , quæ describitur lege Dei , nequaquam potest natura hominum tolerare . Quod vero dicitur Moysen amouisse velamen ingredientem ad Deum & loquentem cum eo , & completum esse luce diuina , significatum est aliam esse iusticiam , qua Deo sumus accepti , & qua Deum sustinere possumus , scilicet quando filius loquens in nobis , communicat nobis lucem suam . Ita velum legi detrahitur , & tollitur hypocrisis , & sunt in nobis iusticia & vita , quam lex describit , sed non exhibet , verum filius Dei exhibet , Ideo inquit Paulus , velum aboleri per Christum .

CAPVT XXXV.

Argumentum.

*Q*U^E M A D M O D V M Israëlite contulerunt ad extictionem tabernaculi aut res aut operas , ita singuli iuueniunt & ornamenti Ecclesias & scholas . *Q*uem enim Deus magnis opibus instruxit , is partem facultatum conferat ad conseruationem ministerij . Si quis auctor ingenio & eloquentia excellit , utatur his donis ad illustrationem & propagationem doctrinæ diuinatus traditæ . *N*am Deus vicissim benefacturus est omnibus , qui diligunt , fountent , tuentur Ecclesiam , sicut inquit Dominus , *Q*ui dederit potum aquæ frigidae vni ex minimis meorum propter doctrinam , habebit mercedem .

T E X -

T E X T V S .

Congregauit itaq; Moses omnem cœtum filiorum Israël & ait ad eos, Hæc sunt quæ D O M I N V S fieri præcepit : Sex diebus suscipietur labor, septimus vero dies erit vobis sanctus, Sabbatum quietis D O M I N I . Qui fecerit opus in eo, morietur. Non accendetis ignem per omnes habitationes vestras in die Sabati.

Et ait Moses ad vniuersum cœtum filiorum Israël dicens, Hoc est quod præcepit D O M I N V S , Date munus leuationis D O M I N O . Quicunq; liberale pectus habet, afferat leuationem D O M I N O , videlicet aurum, argentum & æs, sericum flavum, purpuram, coccinum, sericum album, & pilos caprarum, pelles arietum rubore tintas & pelles Melium, & ligna Sitim, oleum pro lampade, aromata prænguento, & pro incenso fragrantissimi odo-

Erat in lege Sabati principalis intentio, prohibere operas serviles, hoc est, assiduas, abducentes a ceremoniis diuinis. Est igitur calumniosa interpretatio huius legis complecti domelice necessitatis operas, quæ non abducunt a ceremoniis,

mi odoris, lapides Onychinos, & gemmas includendas Ephod & rationali.

Et quicunq; inter vos ingenio & industria excellunt, veniant & faciant, quod D O M I N V S fieri iussit, videlicet

tabernaculum cum suo tecto & operi- Congeries vasorum tabernaculi.

mento, armillis, tabulis, vectibus, columnis & basibus.

Arcam cum vectibus, propitiatorium & velum ei prætensum. Mensam cum vectibus suis, & omnia vasa eius & panes facierum.

Candelabrum luminaris & vasa eius atq; lucernas eius cum oleo luminaris. Altare incensi & vestes eius, oleum unctionis & incensum aromati-

cum, velum prætensum ostio tabernaculi. Altare holocausti, & craticulam eius æneam vñà cum vectibus & omnibus vasis eius, labrum & basin eius, cortinas atrij cum columnis eius atq; basibus eius, & velamen in porta atrij.

Clauos tabernaculi & clauos atrij cum funibus eorum. Vestimenta ministerij

R quæ

Panes facierum sic appellati sunt, quod semper in con spectu Domini & sacerdotum collati essent. Ideo vetus interpres nominauit eos panes propositionis.

quæ seruiunt sancto, & vestes sanctas
Aharon sacerdotis & filiorum eius de-
stinatas sacerdotio.

Et egressus est vniuersus cœtus filio-
rum Ifraël a conspectu Mosi, & omnes
qui libenter & ex animo conferebant,
venerunt & obtulerunt munus leua-
tionis D O M I N O , ad fabricationem ta-
bernaculi testimonij, & ad omne mini-
sterium eius, & ad vestes sanctas. Et
venerunt tam viri quam mulieres &
obtulerunt non granatim aut coæte-
armillas inaures, annulos & murenu-
las, & omnis generis ornamenta aurea.
Omnes præterea afferebant aurū tan-
quam ventilationem D O M I N O . Et
quisquis habebat sericum flauum, pur-
puram, coccinum, sericum album, pi-
los caprarum, pelles arietum rubore
tinctas, pelles Melium, is afferebat ea.

Omnis præterea attollens leua-
tionem argenti & æris obtulit leuationem
D O M I N O , & omnes qui habebant li-
gna Sittim afferebant ea ad omne opus
ministerij.

Omnis porro mulieres ingenio pra-
stantes texebant suis manibus & affe-
reabant opera contexta ex serico flauo,
purpu-

purpura, coccino & serico albo. Omnes etiam mulieres peritæ talium operum & sua sponte incitatæ contexuerunt pilos caprarum. Principes autem attulerunt lapides Onychinos & gemmas includendas Ephod & Rationali, & aromata atq; oleum pro luminari & pro vnguento & pro incenso aromatico. Hoc modo filij Israël tam viri quam mulieres liberali pectore obtulerunt ad omnia opera, quæ iusserat D o m i n u s fieri per Mosen.

Et ait Moses ad filios Israël, Videte, D o m i n u s nominatum vocavit Besaleël filiu Vri filij Hur de tribu Iuda, & impleuit eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & cognitione & omni artificio, ut possit ingeniose formare aurū argentum & æs, & gemmas vera ratione exculpere & includere, & singulari industria tractare ligna ad fabricationem omnium operū, & erudit cor eius & Ahaliab filij Ahisamach de tribu Dan, impleuitq; cor eorū sapientia, ut facere possint omne opus sculpendo, texendo & acupingendo ex serico flavo, purpura, coccino & serico albo, & faciant omnia more artificū ingenio atq; industria præstantiū.

CAPVT XXXVI.

Argumentum.

PRIMA pars huius capitatis perspicue testatur artes vita utiles, generi humano diuinitus monstratas esse & conseruari à Deo. Non igitur dubium est heroicis artifices, qui ingenij vi & doctrinæ copia alijs antecellunt, & singulari fælicitate pleraque efficiunt, diuino afflato, & quodam, ut Græci vocant, enthusiasmo moueri. **A**LTERA pars est imago rarae cuiusdam beneficentie erga ministerium Ecclesiasticum. Tanta enim liberalitas fuit Israëlitarum in conferendis rebus ad tabernaculi extirctionem necessariis, ut pene modum in hoc genere officijs excederint. Reliqua pars describit fabricationem tabernaculi & instrumentorum eius.

TEXTVS.

ADmouerunt er-
go manum o-
peri Bezaleël & Ahaliab, & omnes viri
sapientes, quibus D O M I N V S dederat
sapientiam & intelligentiam, vt scirent
qua ratione facienda essent omnia ope-
ra de-

Initium fabrica-
tionis.

ra destinata ministerio sanctuarij iuxta omnia quæ præceperat D OM N V S. Et Moses vocauit Bezaleël & Ahaliab & omnes sapientia præditos, quorum cordibus Deus dederat sapientiam, eos videlicet qui sua sponte operam officij pollicebantur & propius accedebant, ut operi manum admouerent. Accep- runt itaq; à Mose omnem leuationem, quam contulerant filij Israël ad opus ministerij tabernaculi, ut perficeretur. Nam singulis diebus mane ad eum afferebant spontaneas collationes. Et venerunt omnes sapientes, qui in opere sanctuarij elaborabant, vnuſquisq; in suo genere, dicentes ad Mosen, Nimis multa populus affert & quidem plura quam vsus necessarius huius operis requirit, quod D OM N V S parari præcepit. Iussit ergo Moses in castris hoc præconium fieri, Nemo aliquid adjicat leuationi sanctuarij. Ibi populus desinebat aliquid offerre. Non solum enim satis materiae in promtu erat ad perfectionem totius operis, sed etiam redundabat.

Fecerunt igitur Cortinæ.
omnes sapientes, qui

R 3 manum

manum operi admouerant, tabernacu-
lum, decem cortinas ex serico albo re-
torto, serico flavo, purpura, coccino,
in quibus erant Cherubim artificiose
fabrefacti. Longitudo cortinæ vnius
erat viginti octo cubitorum, & latitu-
do cortinæ vnius quatuor cubitorum.
Mensura vna erat omnib. cortinis. Et
copulauit quinqꝫ cortinas vnam cum al-
tera, & rursus quinqꝫ vnam cum altera.
Fecit quoqꝫ ansulas flavae in cuiusqꝫ
cortinæ ora, vbi debet fieri connexio,
quinquaginta ansulas in vna cortina,
vt alia ex alia neceretur. Et fecit quin-
quaginta aureas fibulas, & copulauit
cortinas per fibulas, vt omnes inter se
iunctæ vnum tabernaculum efficerent.

Fecit præterea vn
decim cortinas ex
pilis caprarum ad tegendum taberna-
culum longitudine triginta cubitorum
& latitudine quatuor cubitorum, sin-
gulas eadem mensura, & quinqꝫ iunge-
bat separatim, & sex separatim. Et fe-
cit ansulas quinquaginta in cuiuslibet
cortinæ ora, quibus connecti possent,
& fecit quinquaginta fibulas æneas, vt
omnes inter se iunctæ vnum taberna-
culum

Tria tegumenta.

culum efficerent. Fecit præterea tegumentum tabernaculi ex pellibus arietum rubore tinctis , & huic impositum operimentum ex pellibus Melium.

Fecit & tabulas Tabulæ.
tabernaculi ex lignis

Sittim stantes. Vnius tabulæ longitudo erat decem cubitorum & latitudo sesquicubitalis. Duas manus habebat unaquæc tabula , vt altera alteri coaptari posset. Hoc modo fabricauit omnes tabulas tabernaculi , quarū viginti erant in parte Austrina. Et fabricauit quadraginta argenteos pedes tabulis subiectos , duos videlicet pedes subiectos singulis tabulis iuxta duas manus. Totidem tabulas fabricauit in altera parte tabernaculi , quæ Aquilonem respicit habentes quadraginta pedes argenteos , ita vt singulæ tabulæ binos pedes haberent. In parte vero tabernaculi spectante ad Occasum fabricauit sex tabulas , & duas tabulas in angulis tabernaculi , in quibus duo latera iunguntur. Et alterutra ex his duabus tabulis infra quidem per basin , supra vero per circulum tabulæ lateralí colligata erat. Octo igitur tabulæ erant vna

R 4 cum

cum sedecim pedibus argenteis, qua-
rum singulæ binos habebant pedes.

Fabricauit etiam Vectes.

vectes ex lignis Sittim, quinqup pro tabulis tabernaculi in latere vno, & quinqup pro tabulis tabernaculi in latere altero, & quinqup pro tabulis tabernaculi in latere occiden-
tali. Et fabricauit vectes, ut per medias tabulas immissi pertingerent ab vno fine ad alium, & operuit tabulas auro, & circulos earum, quibus inseruntur vectes, fecit aureos, & ipsos vectes de-
aurauit.

Fecit & velum ex Velum.

serico flauo, purpu-
ra, coccino & serico albo retorto, in
quo erant Cherubim singulari arte fa-
brefacti. Et fecit illi quatuor columnas
ex lignis Sittim deauratas, quæ habe-
bant capitella aurea, & fundebat qua-
tuor pedes argenteos. Fecit quoque
perimentum pro ostio tabernaculi ex
serico flauo, purpura, coccino, serico
albo retorto contextum, & quinqup co-
lumnas cum suis capitellis, & ope-
riebat auro capitella & coronas ea-
rum, & fundebat pro eis quinque bases
æneas.

CAPVT XXXVII.

Argumentum.

PICTURA arce & propitiatorij est typus rerum maximarum. Nam arca significat Ecclesiam, propitiatorium significat Christum. Is enim est propiciator. Ac ut lex docet propitiatorium esse sedem Dei, & ibi Deum inuocandum esse, & promissionem fuisse additam, quod ibi Deus voluerit exaudire, ita in Christo habitat plenitudo diuinitatis, estq; in eo natura diuina, & Deus promissionem proposuit, quod sic inuocari & exaudire velit, si ad hunc mediatorem confugamus, & hic mediator tegit & abscondit Ecclesiam aduersus iram Dei. Sunt impositi duo Cherubim, qui significant legem & Euangelium. Hec duplex predicatione semper manere debet in Ecclesia, & hoc est summa Euangelij, predicatione pœnitentiae & remissionis peccatorum. Quare haec pictura nos de maximis rebus admonet, de Ecclesia, de mediatore Christo, de predicatione legis & Euangelij.

TEXTVS.

R 5

Fecit

Fecit quoque Beza-
leel arcam ex li-
gnis Sittim longitudine duorum cubi-
torum & dimidij, & latitudine atque al-
titudine sesquicubitali, operuitque eam
auro puro intus & foris, & fecit ei co-
ronam auream per circuitum. Fudit
etiam ei quatuor circulos aureos, quos
posuit in quatuor eius angulis, ita, vt
duo circuli essent in vno eius latere, &
duo circuli in altero eius latere. Et fe-
cit vestes ex lignis Sittim deauratos, &
inferuit eos illis circulis, qui sunt in la-
teribus arcæ, vt his adminiculis arca
gestetur.

Fecit & propitia-
torium ex auro puro Propiciatorium.
longitudine duorum cubitorum & di-
midij & latitudine sesquicubitali. Fecit
etiam duos Cherubim ex solido auro in
vtracque parte propiciatorijs, vt unus esset
in hac parte alter in illa. Et Cherubim
expandebant alas desuper, & alis suis
tegebant propiciatorium, & facies eo-
rum ita sese mutuo contuebantur, vt si-
mul in propiciatorium defixa essent.

Fecit quoque men-
sam ex lignis Sittim Mensa.
longi-

longitudine duorum cubitorum , & latitudine vnius cubiti , atq; altitudine sesquicubitali , & operuit eam auro puro , & fecit ei coronam auream per circuitum , & fimbriam latitudine vnius palmi minoris & coronam auream in ambitu illius fimbriæ. Fudit porro pro ea quatuor aureos circulos ad quatuor angulos , qui sunt in quatuor pedibus eius sub fimbria , vt vectes eis inserantur , quibus mensa gestetur. Et vectes fecit ex lignis Sittim & operuit eos auro , vt his adminiculis mensa gestari possit. Fecit præterea ex auro puro vasa mensæ seruientia , videlicet patinas , calices , cantharos & phialas , vt essent instrumenta libationis.

Fecit etiam candelabrum. Candelabrum.
 delabru ex auro pu-
 ro & solido , in quo erant basis , calami ,
 phialæ , nodi & flores. Sex calami pro-
 cedebant de lateribus eius , tres calami
 ex uno latere , & tres ex altero latere.
 Tres phialæ formam amygdalæ haben-
 tes erant in calamo uno cum nodis &
 floribus , & totidem erant in altero cum
 nodis & floribus , & in candelabro erant
 quatuor phialæ amygdali formam ha-
 bentes

bentes vnā cum nodis & floribus, eratq;
nodus sub duobus calamis, quorum sex
ex candelabro procedebant vnā cum
calamis & nodis, omnia quidem ex pu-
ro & solido auro.

Fecit & lucernas Lucernæ.
septem & forcipes

earum & vasa in quibus fauillæ extin-
guuntur ex auro puro. Ex talento auri
puri fecit illud cum vniuersis vasis suis.

Fecit quoq; altare Altare suffimenti.
adadolendū incen-
sum ex lignis Sittim longitudine & la-
titudine vnius cubiti, vt effet quadra-
tum, & altitudinem duorum cubitorum
haberet vnā cum cornibus. Operuit
autem ipsum auro puro, & tectum ipsi-
us ac parietes per ambitum, eiusdemq;
cornua, & fecit ei coronam auream per
circutum, & duos circulos aureos sub
corona in vtroq; latere, vt eis inseran-
tur vestes, quibus gestetur. Fecit etiam
vestes ex lignis Sittim eosdemque ope-
ravit auro. Fecit & oleum vngionis
sanctum, & incensum aromaticum pu-
rum eo artificio, quod pharmacopæi
exercent.

CAPVT XXXVIII.

Argumentum.

Hoc caput testatur Deum approbare metallicas officinas, quia præcipit fieri ex auro, argento & ære vasa tabernaculi. Præcipit item ut quilibet Israëlite natus annos viginti quotannis det dimidium scoli argenti, id est, didrachmon argenti ad conseruacionem seu tabernaculi seu templi. Vult igitur officinas esse in quibus metalla coquuntur.

TEXTVS.

ET fecit altare ho
locausti ex lignis Altare holocausti,
Sittim longitudine & latitudine quinque
cubitorum, vt esset quadratum, & alti-
tudine trium cubitorum. Cornua quo-
que fecit in quatuor angulis eius & ip-
sum ære operuit. Fecit & ollas capaces
cineris, palas, pelues, fuscinulas, igni-
um receptacula, & omnia vasa eius ex
ære. Fecit quoque craticulam reti simi-
lem ex ære, quæ imam partem altaris
cingens pertingebat usque ad medium
altare. Et fundebat quatuor circulos
in qua-

in quatuor finib. craticulę æneę qui exci-
perent vectes, quos fecit ex lignis Sittim
ære opertos, quos circulis inserebat in
vtroq; latere altaris, vt his adminiculis
gestari posset. Cauū ex tabulis fecit il-
lud. Fecit & labrū
æneū cum basi ænea
in conspectu mulie-
ruī, quæ ante fores
tabernaculi testimo-
nij seruiebant.

Apud tabernaculū
seu templū fuerunt
mulieres, quæ ser-
uiebant coquendo,
lauando, sacerdiis
vestib. medicatione,
Leuitis & pauperib.

Fecit quoq; atriū Atrium.
scilicet velamen ex serico albo retorto,
cuius longitudo in latere austrino erat
centum cubitorum, & viginti columnas
cum totidem basibus æneis, & capitella
atq; circulos ex argento. Sic in latere
septentrionali centū cubitorū (velamē)
& viginti columnas cum totidem basib.
æneis, & capitella atq; circulos ex ar-
gento. In latere vero quod occasum re-
spicit quinquaginta cubitorū (velamē)
& columnas decem cum totidē basibus,
& capitella atq; circulos ex argento.
Deniq; versus orientē latitudo habebat
quinquaginta cubitos. Habebat ergo
& tres columnas cum trib. basibus, & in
altero

altero latere quindecim cubitos & tres columnas cum trib. basibus. Et omnia velamina atrij erāt ex serico albo retorto, & bases columnarū ex ære, & capitella atq; circuli ex argento, ita ut capitella essent operta argento, sed circuli es- sent argentei in omnib. columnis atrij.

Fecit etiam operi- Operimentum in-
mentū in porta atrij porta atrii.
contextū ex serico flauo, purpura, coc-
cino, & serico albo retorto longitudine
viginti cubitorum, & altitudine quinq;
cubitorū iuxta mensurā cortinatū atrij.
Præterea quatuor columnas & quatuor
bases æneas, & capitella ex argento &
horum inuolucra operta & circulos ar-
genteos. Deniq; omnes clavi taberna-
culi & atrij erant ænei in toto ambitu.

Hæc est summa (vasorū) tabernaculi
testimonij, quæ numerata est, sicut Mo-
ses dixerat ad ministeriū leuiticum, per
manum Ithamar filij Aharonis sacer-
dotis, quæ fecerat Bezalël filius Vri filij
Hur de tribu Iuda, omnia sicut præce-
perat D O M I N U S Mosi, & cū eo Ahali-
ab filius Ahisamach de tribu Dan, qui
erat artifex sculpendi, texendi, & acu-
pingendi ex serico flauo, purpura, coc-
cino & serico albo.

Omne

Omne aurū, quod consumtum est in hoc toto opere sanctuarij, quod conferebatur leuationis nomine explet sumam viginti nouem talentorum, septingentorum & triginta siclorum iuxta pondus sicli tabernaculi. Argentum vero, quod à congregazione conferebatur, explebat suminam centum talentorum, mille, septingentorum, septuaginta quinqʒ siclorum iuxta pondus sicli tabernaculi. Quot capita, tot dirachma iuxta pondus sicli tabernaculi, ab omnibus qui erāt in numero à viginti annis & supra. Sexies centū millia, tria millia, quingen-
ti & quinquaginta.

Ex centum talentis argenti fundebatur bases sanctuarij, & bases veli, centum bases ex centum talentis, singulæ bases ex singulis talentis. At ex millibus, septingentis & septuaginta quinqʒ siclis, fiebant columnarum capitella, & horum inuolucra & circuli. Porro leuatio æris ex plebat

Ιπιλογισμὸς ματερὶæ metallicæ.
Si capita puberū Israëlitarum erant quinques centum millia, iam summa erat centum millia coronatorum. Nam decem drachmæ faciunt coronatum, sicut octo aureum Rheneussem.

Plebat summam septuaginta talentorum, duorum millium & quadringentorum sicciorum. Inde siebant bases in porta tabernaculi testimonij, & altare æneum, & craticula ænea & omnia vas altaris, præterea bases atrij in circuitu, & bases ianuæ atrij, omnes clavi tabernaculi & omnes clavi atrij per totum ambitum.

CAPVT XXXIX.

Argumentum.

V L T Deus & fidem & opera gubernari ea norma, quam tradidit sua voce. Ideo roties in hoc capite repetitur clausula, Sicut præcepérat Dominus Moysi, quæ reicit omnes opiniones & cultus sine verbo Dei excogitatos, & deducit nos ad testimonia vocis diuinæ de fide & de operibus. Ut enim nulli creaturæ concessum est tradere nouam doctrinam de Deo: ita nec angelis nec hominibus licet instituere nouos cultus Dei. Sciamus igitur normam nostræ fidei & obedientiæ portare esse verbum Dei sapienter intellectum, ut Colossenses 3. dicitur, Verbum Dei habitet inter vos abunde cum omni sapientia,

S & Salo-

& Salomon Proverb. 30. Omne verbum Dei
purgatum est clypeus credenti.

TEXTVS.

EX serico autem flavo, purpura &
coccino fecerunt vestes ministerij,
quib. Aharō indutus serviret in sanctua-
rio, sicut D O M I N V S Mosi præceperat.

Fecit autē Ephod. Ephod.
ex auro, serico fla-

uo, purpura, coccino, & serico albo
retorto. Et percussit aurum, & lami-
nas in fila discidit, vt artificiose intexi-
possent serico flavo, purpuræ, coccino
& serico albo, & in utroq; humero con-
nexio fieret, & duæ extremitates inter-
se deuinctæ essent. Et cinctus ipsius su-
premus eadem arte fabrefactus erat ex
auro, serico flavo, purpura, coccino, &
serico albo retorto, sicut D O M I N V S
Mosī præceperat. Et fecerunt duos la-
pides Onychinos inclusos auro, scul-
ptos arte gemmariorum, quibus in-
sculpta erant nomina filiorum Israël.
Et posuit eos in utroque latere Ephod,
vt essent lapides conseruantes memori-
am filiorū Israël, sicut D O M I N V S Mosī
præceperat. Et fe-

Et fecerunt Rationale eadem arte
 qua Ephod, ex auro, serico flano, purpura, coccino & serico albo retorto.
 Quadratum erat & duplicatum longitudine & latitudine palmi maioris, &
 posuerunt in eo quatuor ordines lapidum. In primo ordine erant Sardius,
 Topazius & Smaragdus. In altero Carbunculus, Sapphirus & Adamas. In
 tertio Lyncurius, Achates & Amethystus. In quarto Chrysolithus, Onyx &
 Iaspis. Auro autem inclusi erant in singulis ordinibus, & dispositi iuxta no-
 mina duodecim filiorum Israël & arte
 gemmariorum sculpti, unusquisque suo
 nomine iuxta seriem duodecim tribuum.

Et fecerunt in rationali catenulas,
 que habebant duas extremitates, ex
 auro puro, & duas bullas aureas, &
 duos annulos aureos, & annexebant
 duos annulos duobus angulis rationa-
 lis, & duas catenulas aureas inferebant
 duobus annulis in angulis rationalis.
 Extremitates vero catenularum insere-
 bant duabus bullis, easque annexebant
 humeris Ephod ut se mutuo contue-
 rentur.

Fecerunt etiam alios duos annulos aureos, eosdemq; reliquis duobus angulis rationalis affigebant loco conueniente, ut firmiter ipsi Ephod adhaeret. Fecerunt præterea alios duos annulos aureos, quos angulis infimis Ephod è regione collocatos affigebant, ubi Ephod connectitur. Et rationale vna cum annulis suis sic alligabatur per funiculum flauum ad annulos Ephod, ut ipsi Ephod firmissime adhaereret, nec unquam rationale ab Ephod diuelli posset, sicut D OM IN V S Mosi præcepérat.

Fecit quoq; talaris.
rem inferiorem Ephod totam ex serico flavo contextam,
cuius suprema pars in medio habebat
foramen, quod vndiq; fimbria bene
compacta ambiebat prohibens rupturam. Et fecerunt in fimbria inferiore
mala punica ex serico flavo, purpura,
coccino & serico albo retorto, & au-
rea tintinabula, quæ ratione vicissitu-
dinis collocabant inter mala punica
per totum ambitum in fimbria talaris
ad ministerium, sicut D OM IN V S Mosi
præcepérat.

Fece-

Fecerunt etiam tunicas strictas ex serico albo contextas Aharon & filiis eius, & pileum ex serico albo, & pulchram mitram ex serico albo, & subligacula ex lino albo retorto, & balthum acu pictum ex serico albo retorto, serico flavo, purpura & coccino, sicut Dominus Mosi præceperat.

Tunica stricta.

Fecerunt quoque laminam, videlicet Lamina. sanctam coronam ex auro puro, & insculpserunt ei scripturam, sanctitatem Domini, & affigebant eam per funiculum flauum anteriori parti pilei in fronte Aharon, sicut Dominus Mosi præceperat.

Hoc modo perfectum est totum opus tabernaculi & teeti testimonij. Et filii Israël faciebant omnia, quæ Dominus Mosi præceperat. Et afferebant ad Mosen tabernaculum, tectum & omnia vasa eius, fibulas, tabulas, vestes, columnas, bases. Tegumentum ex pellibus arietum rubore tinctis, operimentum ex pellibus Melium, & velum, Arcam fæderis cum

ἱπιλογισμὸς vasorum taberaculī.

S 3 suis

suis vestibus, propiciatorium, mensam
cum omnibus vasis suis, & panes pro-
positionis, Candelabrum pulchrū cum
suis lampadibus paratum, & omnia va-
sa eius & oleum pro luminari. Aureum
altare & vnguentum & res fragrantif-
simas, velamen in ostio tabernaculi,
Altare æneum, & craticulam eius æne-
am cum vestibus & omnibus vasis eius,
labrum cum base sua, cortinas atrij
cum suis columnis & basibus, velum in
porta atrij cum suis columnis & cla-
uis, & omnibus vasis destinatis ministe-
rio tabernaculi testimonij, vestes addi-
tas ministerio Aharon, quo fungeba-
tur in sanctuario, & vestimenta filio-
rum eius, ut fungerentur munere sacer-
dotum. Omnia sicut præceperat D o-
MINVS Moysi, sic fecerunt filii Israël
in toto hoc opere. Et Moses aspiciens
omnia hæc opera elaborata ad præscri-
ptum D O M I N I , benedictionem eis
pronunciauit.

CAPVT XL:

Argumentum.

ANNO

*A*NNO secundo post exitum populi ex Egypto mensis primi die primo, absolutis omnibus, quæ Moses iussus erat ad tabernaculi cultum & ornatum & sacrorum usum fabricare, tabernaculum nostrum erexit & dedicatum est, quod statim maiestas Domini repleuit, nube densa per diem, & late fulgenti flamma per noctem incubante tabernaculo. Ut autem tunc Deus approbavit testimonio presentie suæ opera & cultus congruentes ad normam quam ipse tradiderat, ita omnibus temporibus efficax est in prædicatione Evangelij & in usu legitimo sacramentorum, & semper aliquos regenerat ad vitam æternam.

T E X T V S.

*L*ocutusq; est DOMINVS ad Moysen dicens, Primo die mensis primi eriges tabernaculum testimonij, & pones in eo arcam testimonij, & arcæ velum prætendes, & afferes mensam eamque instrues, & candelabrum afferes & in ea pones lampades. Pones quoque altare aureum incensi ante arcam testimonij, & ostio tabernaculi velamen prætendes. Altare vero holocausti pones ante ostium tabernaculi testimonij.

S 4 Et la-

Et labrum pones inter tabernaculum testimonij & altare, & aquam in id infundes. Dispones & atrium in circuitu, & velamen portæ atrij prætendes.

Sumes etiam oleum vunctionis, quo vnges tabernaculum, & omnia quæ in eo sunt, sanctificabisq; ipsum cum omnibus vasibus eius, ut sit sanctum. Vnges & altare holocausti atq; omnia vasa eius & sanctificabis altare illud, ut sit sacratissimum. Vnges & labrum atq; basin eius, & sanctificabis ipsum.

Et Aharon atq; filios eius adduces ad ostium tabernaculi testimonij, & lauabis eos aqua, & indues Aharon vestibus sanctis, & vnges eum sanctificabisque eum, ut sit meus sacerdos. Filios quoq; adduces & indues eos strictis tunicis, & vnges eos, sicut vnxisti patrem eorum, ut sint mei sacerdotes. Et hæc vunctionio erit ipsorum propria ad perpetuum sacerdotium in generibus suis. Moses autem fecit omnia sicut præceperat ei D OMINVS.

Sic igitur erectum est tabernaculū anno secundo, die primo mensis primi. Cumq; Moses id erigeret

χρονολογία *erecti*
tabernaculi.

geret, posuit bases & tabulas & vectes,
 & columnas excitauit. Et tabernacu-
 lum expandit ad habitationem, & im-
 posuit ei tegumenta sicut ei præceperat
D OM IN V S. Et acceptum testimonium
 reposuit in arca, & admouit vectes ar-
 cæ, & eidem propiciatorium imposuit.
 Et importauit arcam in tabernaculum,
 & prætendit velum arcæ testimonij,
 sicut ipsi præceperat **D OM IN V S.** Et
 collocauit mensam intra tabernacu-
 lum testimonij in angulo Septentrio-
 nali extra velum, & parauit panes in ea
 coram **D OM I N O** sicut ipsi præcepe-
 rat **D OM IN V S.** Collocauit etiam can-
 delabrum in tabernaculo testimonij è
 regione mensæ in angulo Austrino, &
 imposuit ei lampades coram **D OM I N O**,
 sicut ipsi præceperat **D OM IN V S.**
 Posuit quoq; aureum altare in taber-
 naculo testimonij ante velum. Et in-
 cendit in eo fragrantissimos odores
 sicut præceperat ei **D OM IN V S.** Et
 prætendit velamen ostio tabernaculi.
 Altare vero holocausti collocauit ante
 ostium tabernaculi testimonij & offe-
 rebat in eo holocausta & oblationes,
 sicut præceperat ipsi **D OM IN V S.** Et

S 5 labrum

labrum collocauit in se tabernaculum
testimonij & inter altare , & infudit
in ipsum aquam ad lanandum , & laue-
runt ex eo Moses , Aharon atque filij
eius manus suas & pedes suos . Quoties
enim ingrediuntur in tabernaculum
testimonij & accedunt ad altare , lauant
se , sicut præceperat D O M I N V S Mosi .
Et erexit atrium in ambitu tabernaculi
& altaris , & prætendit velamen por-
ta atrij .

Hoc modo absoluit Moses vniuer-
sum opus .

Et operuit nubes tabernaculum te-
stimonij , & gloria D O M I N I impleuit
habitationem . Et non potuit Moses
ingredi in tabernaculum testimonij do-
nec nubes tegebat tabernaculum , &
gloria D O M I N I implebat habitatio-
nem . Ac quoties nubes supra taberna-
culum attollebatur ,
proficisciabantur fi-
lii Israël per turmas Filius Dei est me-
tuas . Et quando nu-
bes non attollebatur , non proficisci-
bantur vsque ad eum diem , quo se se in
sublime efferebat . Etenim nubes D O-
M I N I interdiu erat super tabernacu-
lum , &

Filius Dei est me-
tator castrorum Ec-
clesie .

lum, & noctu erat ignea coram oculis
totius domus Israël per om-
nes turmas suas.

F I N I S

Exodi.

H I I O M -

2 2 0 2 2
alluvial soils are generally well
drained. Many areas are
subject to annual flooding.

2 2 0 2 2

2 2 0 2 2

ΤΠΟΜΝΗΜΑΤΑ GRAM-
MATICA IN
EXODVM.

C A P V T I I .

R A T I O N E M E O R U M H A B V I T .)
Verbum γιγνεται significat non solum
agnoscere, sed etiam fauere & curare,
vt Psal. I. Nouit D o M I N V s viam iu-
storum, id est, approbat & curat. Et
Ioannis 10. Ego oues meas cognosco,
id est, vere respicio, exaudio & iuuo eas.

C A P . V I I I .

S I T E L E C T I O P E N E S T E .) γης
Decorauit, glorificauit. Et μιταληπτηνως
Elegit, quia electio est dignioris.

P E D I C U L I .) סְנָמֶן Origenes super
Exodus : Hoc animal pennis quidem
suspenditur per aëra volitans, sed ita
subtile & minutum, vt oculi visum nisi
acute cernentis effugiat, corpus tamen
cum insederit, acerbissimo terebrat
stimulo, ita vt quem volitantem non
videre quis valeat, sentiat stimulantem.
Hæc Origenes, qui per hoc animalis
genus

T P O M N H M A T A

genus Dialecticam vult intelligi, quæ
minutis & subtilibus verborum stimu-
lis animas terebrat, & tanta callidita-
te circumuenit, ut deceptus nec vide-
at, nec intelligat.

C A P. I X.

S E R O T I N A.) ἡδη caligauit. Et μή
ταλαιπωρίας nondum erupit in conspicu-
am segetem, quia semen tardius terræ
mandatum est.

C A P. X I I.

I N T E G E R.) עִזָּה significat non
morbidum, non mutilatum. Cum au-
tem de homine usurpatur ut Gen. 17. &
Psal. 119. significat habentem omnes
partes vitæ Christianæ, videlicet fidem
& bonam conscientiam.

P A E S A H.) חַסְאָה Transiliuit. Inde
חַסְאָה saltus, quia intersector primoge-
nitorum transiliuit Israëlitæ.

I N D I G E N A.) חַרְבָּה ortus. Inde חַרְבָּה
ortus in eo loco in quo habitat, ^{אֲוֹתֶךְ בָּהָר}.

P E R C U S S O R E M.) חַשְׁמָן proprio
significat perdentem & delentem ali-
quid,

GRAMMATICA.

Quid. Exequitur autem Deus pœnas per bonos & per malos angelos. Nam de bonis angelis in historia deletionis Sodomæ diserte scribitur. De malis vero Psal. 78. dicitur, Misit in eos iram suam, immissiones per angelos malos.

C A P. X I I I.

COECO IMPETV VAGANTVR.)
intricauit. Hinc perplexitas,
cum contrariæ causæ implicant ani-
mum, ne possit alterutram partem eli-
gere.

C A P. X I X.

A QYILARVM.) Hieronymus Esaiæ
66. Aliunt qui de animantium scripsere
naturis, omnibus quidem bestijs & iu-
mentis & pecudibus autibusq; ingenio-
sum esse erga filios pullosq; suos affe-
ctum, sed maximum esse amorem aqui-
larum, quæ in excelsis & inaccessis lo-
cis nidos collocant, ne coluber fœtus
violet. Amethysten quoq; inter pullos
eius lapidem reperiri, quo omnia vene-
na superentur. Si hoc verum est, recte
affactus Dei in suas creaturas aquilis
compa-

T I O M N H M A T A

comparatus est, qui omni custodia protegit suos liberos, ne draco & coluber antiquus Diabolus & Satanás obrepant nouellis fœtibus, ut ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion omnes aduersariorum frangantur infidice.

P E C V L I I .) Peculum & pecunia, à pecoribus, in quibus substantia veterum omnis consistebat, & quorum figura nummi signabantur, dicta sunt. Pecunia maius patrimonium, peculum pusillam pecuniam, siue pusillum patrimonium significat. Itaque modicum illud quod serui frugalitate de demenso comparcentes suo parabant, vel officio meruerant sibi donari, permissoꝝ domini separatum à rationibus dominicis habebant, peculum dicebatur. Eadem ratio est peculij filiofamilias. Hæc facile ad Ecclesiam populi Israël distinctam ab alijs gentibus accommodari poslunt.

C A P . X X I .

I N S E C V L V M .) Hoc exemplum ostendit Dñs non usurpari pro æternitate, quam nulla temporis circumscriptio

GRAMMATICĀ.

scriptio metitur. Cum enim seruus sit mortalis, non potest infinitis seculis domino seruire. Sic circumcisio Gen. 17. appellatur foedus οἵη id est, duraturum usq; ad Messiam.

C A P. X X I I.

REVS SANGVINIS.) οἵη Phrasis obseruanda est. Nam sanguines significat reatum pœnæ homicidij, seu ipsam pœnam homicidij, necem proxime, ut Psalmo 51. Libera me à sanguinibus, id est, à reatu extremæ & atrocissimæ pœnæ. Mitiga pœnas, nec finas me in tragica mala incidere.

MALEDICTVS.) הַרְחֵם significat rem deuotam ac destinatam exitio & morti, & vt Græci dixerunt νάθαρτα seu ἀλάσσοντα. Sic igitur nos Deus de cultibus idolorum sentire iubet.

C A P. X X V I.

FIBVLAS.) פִּיבָּלָס Septuaginta rediderunt τὰς ἄγνωτας, quas Latini fibulas appellant.

T

A R-

T H O M. G R A M.

ARMILLAS.) קְרָסִי Septuaginta
reddiderunt *κείνους*, id est, armillas.

C A P. X X X.

PVRISSIMAE.) וַיְזֹר significat li-
bertatem, Leuitici 25. Esaix 61. Hic
vero significat myrrham puram, hoc
est, ab omni adulteratione liberam.

C A P. X X X V.

MVNVS LEVATIONIS.) Duæ sunt
vñstatissimæ appellationes in scriptis
Moysi, quas recte intelligi necesse est.
Vna est תְּרוּמָה quæ significat munus
in sublime elatum à verbo מֵזֶן quod
habet exaltandi significationem. Al-
tera est, תְּנוּתָה id est, munus in dex-
trum & sinistrum latus agita-
tum, à verbo נָזַע quod
significat huc &
illuc agita-
re.

I N:

INDEX MON-
STRANS USVM LE-
CTIONIS EXODI.

I. Testimonia de arti-
culis doctrinae.

- De patefactione Dei cap. 20
De tribus personis diuinitatis cap. 15. 33. 34
De exauditione diuina cap. 2. 8. 9. 10. 14.
15. 16. 17. 22. 32. 33. 34
De Ecclesia cap. 1. 2. 19. 25. 28. 33. 34. 37
De prouidentia diuina cap. 2. 11
De filio Dei cap. 3. 15. 17. 25. 33. 34
De resurrectione mortuorum cap. 3
De presentia filij Dei in Ecclesia cap. 1. 17. 40
De peccato reliko in sanctis cap. 5
De essentia diuina cap. 6
De voluntate Dei cap. 6
De discrimine miraculorum Ethnicorum &
Ecclesie cap. 7
Qualis sit Deus cap. 9. 10. 20. 22
De Sacramentis cap. 12
De discrimine veri Dei & idolorum cap. 15
De Spiritu sancto cap. 15

T 2

De dis-

I N D E X.

<i>De discrimine veteris & noui testamenti</i>	
<i>cap.</i>	19. 24. 34
<i>De lege cap.</i>	19. 20
<i>De causa finali omnium rituum Leuiticorum</i>	
<i>cap.</i>	25
<i>De sacerdotio Christi cap.</i>	28

I I. Consolationes.

<i>A prouidentia diuina cap.</i>	3
<i>A praesentia Dei cap.</i>	3. 4. 14
<i>A stabilitate Ecclesie cap.</i>	3
<i>A bonitate Dei recipientis & sanantis in-</i>	
<i>firmos cap.</i>	5
<i>Consolatio opponenda solicitudini de victu</i>	
<i>cap.</i>	16
<i>Consolatio proposita in primo precepto cap.</i>	20

I II. Precationes.

<i>Precatio pro Ecclesia cap.</i>	15
<i>Precatio Moysi plena ardentiissimorum af-</i>	
<i>fectuum cap.</i>	32
<i>Alia precatio Moysi cap.</i>	33. 34

I III. Gratiarum actiones:

Grat. 18

I N D E X.

Gratiarum actio pro gloriose liberatione Ecclesie cap. 15. 18

V. Miracula.

<i>Diuina conseruatio infantis Moysi cap.</i>	2
<i>Miracula testificantia de vocatione Moysē cap.</i>	4
<i>Diuisio aquarum maris rubri cap.</i>	14
<i>Effusio aquarum ex rupe cap.</i>	17

V I. Promissiones.

<i>Promissio de conseruatione verbi diuinitus traditi & Ecclesie cap.</i>	3
<i>Promissio præsentie & auxiliij diuini cap.</i>	4
<i>Promissio de futura liberatione populi Israël cap.</i>	6
<i>Promissiones additæ legi cap.</i>	20. 23

VII. Vaticinia:

<i>Vaticinium de aduentu Christi cap. 3. 33. 34</i>	
---	--

VIII. Comminationes.

I X. Præcepta.

Regula vitæ & vocationis cap.	7. 17
Regula obedientiæ in cruce cap.	14
De officio Iudicis cap.	18. 23
De officijs sacerdotum cap.	28. 29
Lex de conseruatione ministerij cap. 30. 31. 35	
Regula fidei & operum cap.	39

X. Exempla.

Leuitatis humanae abijcentis veram doctrinam & amplectentis idola cap.	1. 32
Seruitutis tristissimæ cap.	1
Tyrannidis cap.	1
Timoris Dei anteferentis mandatum Dei impijs edictis tyrannorum cap.	1
Occultationis officiose cap.	1
Premiorum pietatis cap.	2. 14
Fidei cap.	2
Heroici impetus cap.	3
Modestiæ cap.	
Impatientiæ cap.	5. 14. 15. 16. 17
Obedientiæ in vocatione cap.	7
Irae Dei cap.	8. 12. 14
	Gratia

I N D E X.

<i>Gratiae cap.</i>	8. 12
<i>Securitatis cap.</i>	10
<i>Consilij moderati cap.</i>	10
<i>Autoritatis cap.</i>	11
<i>Avaritiae cap.</i>	16
<i>Reuerentiae erga sacerorum cap.</i>	18
<i>Docilitatis cap.</i>	18
<i>Securitatis prophanae cap.</i>	32
<i>Amoris ardoris erga Ecclesiam cap.</i>	32
<i>Beneficentiae erga ministerium cap.</i>	36

*XI. Allegoriae seu typi
seu imagines.*

<i>Imago Ecclesie crescentis in persecuzione cap. 1</i>	
<i>Allegoria de usu philosophie cap.</i>	3
<i>Imago bonitatis Dei tolerantis nostram in- firmitatem cap.</i>	4
<i>Imago Cyclopice impietatis cap.</i>	5
<i>Imago discriminis piorum & impiorum cap.</i>	
<i>Allegoria de agno mactato in paschate cap.</i>	10. 11
<i>Allegoria de columna nubis & ignis cap. 13</i>	
<i>Imago Ecclesie omnium temporum cap. 14.</i>	
<i>Allegoria de aquis amaris quæ ligno inie- cto dulci.</i>	16. 29. 33
	T 4

<i>Eto dulcescunt cap.</i>	15
<i>Allegoria de Manna cap.</i>	16
<i>Allegoria de Moyse feriente petram cap.</i>	17
<i>Moses mediator typicus cap.</i>	20
<i>Allegoria arcae fæderis & propitiatory cap.</i>	
<i>25. 37</i>	
<i>Allegoria de facie Moysi velata cap.</i>	34
<i>Imago Academice optime constitutæ cap.</i>	26.
<i>27</i>	
<i>Allegoria de altari cap.</i>	27
<i>Imago Christi cap.</i>	29

TYP O-

Typographus lecto- ri S.

NE reliquæ chartæ vacue essent,
putauit ascribenda esse iudicia sum-
morum huius etatis Theologorum de ea
ratione interpretandi scripturam sa-
cram, cuius specimen in aliquot libris
propheticis ostensum est. Hanc appen-
dicem ut lector boni consulat magnope-
re oro. Bene vale candide lector.

Martinus Lutherus

Gen. 19.

I A M sequitur textus de Lot & filia-
bus eius , qui quæstionibus & confu-
sionibus tam iudæorum quam nostro-
rum plenus est. Nostri patres eum præ-
tereunt ferè siue impediti alijs studijs,
siue Deo sic curante, ne Ecclesia multi-
tudine librorum oneraretur. Nam ego
ipse eam ob causam odi meos libros,
& sæpe opto eos interire , quod metuo
ne morentur lectors , & abducant à
lectione ipsius scripturæ , quæ sola om-

5 T nis fa-

nis sapientiae fons est, ac terror exemplo superioris ætatis. Postquam enim in hominū commentarios inciderunt, qui sacris studiis dediti erant, non solum plurimum temporis in lectione veterum Theologorum consumserunt, sed etiam tandem occupati sunt in Aristotele, Auerroë, & alijs, ex quibus postea nati sunt Thomæ, Scoti & similia portenta.

DEBET Igitur MODUS LIBRORVM ESSE, INTER QVOS HI
soli probandi sunt, qui lectorem deducunt ad scripturam recte intelligendam. Et in ipsis patribus nihil debemus amplecti, quod cum sacra scriptura non conueniat, ea sola maneat iudex & magistra omnium librorum. Expedit sane audire confitentes siue mortui sint in scriptis, siue viuant & viua voce doceant: Modus tamen esse debet. Et regula hæc perpetuo seruanda est, ut illos legamus qui scripturam explicant.

Ioannes Bugenhagius Pomeranus Matthæi 4.

Faciendorum librorum non est finis, &

nis, & multa iam scribuntur , quæ vt
non mala sint , tamen non necessaria
sunt ad intelligendum scripturas , &
occupant ita lectorum , vt non vacet
ipſi legere sacras scripturas. Noſtra
autem ſcripta eò tendere debent , vt
inducant lectorum in penetralia ſcri-
pturarum , vt lectores poſtea poſſint
nobis dicere , quod Samaritani dixe-
runt mulieri Ioannis 4. Iam non pro-
pter tuam orationem credimus , Ipſi
enim audiuimus (ex ſacra ſcriptu-
ra & verbo Dei) & ſcimus quod
hic eſt vere ſaluator
mundi C H R I-
S T V S.

Omissa

in sibi, quodammodo in seipsum dicit
propter hoc non potest esse nisi unum
et uniuscuiusque operis est. Unde etiam
dicitur hoc in operibus et operis
talis. utrumque enim est unum
et unus. quodammodo in seipsum dicit
propter hoc non potest esse nisi unum
et uniuscuiusque operis est. Unde etiam
dicitur hoc in operibus et operis
talis. utrumque enim est unum
et unus.

Si ergo dicitur quod

Expositio de operibus et operis

*Omissa in primo libro Moysi
sic restituantur.*

*IN FINE capitinis quinti, pag. 31. lin. 6.
hac periodus est omissa. (Vixitq; Lamech
postquam genuit Noah, quingentis no-
naginta quinq; annis, & genuit filios &
filias. Et facti sunt omnes dies Lamech
septingenti septuaginta septem anni,
& mortuus est.) Noah vero, &c.*

*Cap. 8. pag. 42. lin. 22. post paragraphum
Egressus est ergo Noha & filij eius,
omissa sunt hac verba: (Et vxor illius, &
vxores filiorum eius,) cum, &c.*

*Cap. 9. pag. 47. lin. penultima, post perio-
dum cuius finis est, Quæ est super terram,
etiam pauca quedam sunt omissa, qua sunt
velut repetitio precedentium: (Dixitq;
Deus ad Noah, Hoc erit signum fœde-
ris, quod constitui inter me & omnem
carnem, quæ est super terram,) Erant
autem, &c.*

*Cap. 38. pag. 211. lin. 15. Habeat sibi:
Certe mendacij arguere nos non po-
test. (Ecce misi hœdum illum, & tu
non inuenisti eam.)*

*Cap. 47. pag. 256. lin. 3. Venerunt è
terra*

200 DT 7
terra Chanaan. (Et ecce consistunt in
terra Gosen.)

In eodem capite lin. 24 pag. 257. abun-
dat (Aegypti.)

Cap. 48. pag. 264. ferè in fine capitū lin.
24. omissa sunt hæc verba. (Benedixitq
eis in tempore illo dicens.)

F I N I S.

L I P S I A
In officina Ernesti Vægeliini
Constantiensis.

Anno M. D. LXVI.

THE
LITERARY
BAPTIST

